54211/B

M. Mel. V 38

A. I. f
18
№ 17007
M. M. V. 58

be

1 **Actus inauguralis medicus,** seu promotio octo Medicinae Doctorum. Vienna Austr. 1749. 4to. Orig. gilt wrappers. Frs. 75.—

Collection of 8 interesting medical dissertations made at the University of Vienna:

VIENNA

1) **Setti, F. J.** Morbus ex phoenomeno seu De vertigine.
2) **Rhein, B. L.** De asthmate.
3) **Trogenius, A.** De ictero.
4) **Locher, M. J.** De arthritide idiopathica.
5) **Dietmann, J. F.** De convulsione uteri seu abortu, eiusque praeservatione.
6) **Clement, J. F. D.** De variolis.
7) **Störck, J. M.** Πυρετος Ημιτριταιος Celsi & Galeni cortica peruviano curatus.
8) **De-Mare, F. X.** De gutta rosacea.

PROGRAMMA
PRÆFIGI
SOLITUM.

LB 40372

D. C

SUB REVERENDIS

A M P

DOMIN

FRANCISCO AN

AA. LL. Philoſophiæ & SS. Theologia

Præpoſito, Decano Kirenbergenſi, Sac

Celeberrimæ & Anti

CANC

PER PERILLUSTREM, SPECT

D O M I N U

MAXIMILIANUM,

AA. LL. Philoſophiæ & Medicinæ Doctoren

Equitem ac Provincialem, nec non

PRO - C

In Metropolitana D. Stephani Proto - Martyris Anno reparatæ Salutis M. DCC.

DE

A PERILLUSTRI, CLARISSIMO,

FRANCISCO, ANTO

AA. LL. Philoſophiæ & Medicinæ Doctore, Sac. Cæſ. Re

Medico, Profeſſore publico emerito, Xenodochii Aulico-Cæſareo

In eadem Metropolitana ritu ſolemni more inſtitu

PRÆNOBILES, EXCELLENTES, AC DOCTISSIMI DOMINI AA. LL. E

ORDINE, QUO PRIMAM IN EADEM

D. Ferdinandus Joſephus Setti, Auſtriacus Vienne

D. Benedictus, Leopoldus Rhein, Auſtriacus Vien

D. Andreas Trogenius, Auſtriacus Viennenſis.

D. Maximilianus Joſephus Locher, Auſtriacus Vien

PROBLEMA A NEO - DOCT

An in Schola Medica plus utilita

. A.

MO, PERILLUSTRI, AC
SIMO
DOMINO
ONIO GUSMAN,

ore, Metropolitanæ Eccleſiæ Viennenſis
egiæque Majeſtatis Conſiliario, nec non
Univerſitatis Viennenſis
RIO &c.

M, AC EXCELLENTISSIMUM

OMINUM
EPHUM DE DAMM,

ni Bohemiæ, & Provinciarum apertinentium
honoris actum deſignatum Magnificum
LARIUM.

s Novembris Die 18. hora 8. matutina ſub pulſu Campanæ majoris Licentiâ Donati.

ERO

LLENTISSIMO DOMINO, DOMINO

, DOMINICO VOGL,

Majeſtatis Imperatricis Viduæ Elisabethæ Christinæ Aulæ-
yſico, nec non p. t. Inclytæ Facultatis Medicæ Decano Spectabili.
emico ſuprema Medicinæ Laureâ condecorati ſunt.

HIÆ MAGISTRI SALUBERRIMÆ MEDICINÆ BACCALAUREI FORMATI.

TATE LAUREAM SUSCEPERUNT.

natius Franciſcus Dietmann, Auſtriacus Viennenſis.
annes, Franc. Daniel Clement, Sileſius Schildberg.
annes Melchior Störck, Suevus Sulgavienſis.
anciſcus Xaverius De-Mare, Auſtriacus Viennenſis.



IN ACTU DISCUTIENDUM.

odernorum? An veterum doctrina?

EX LIBRIS
BIBLIOTHECAE
CONVENTUS
VIENNENSIS ORD. PRAED.

Vienna University

52185

ACTUS INAUGURALIS MEDICUS,

SEU

PROMOTIO OCTO MEDICINÆ DOCTORUM

In Divi Stephani Proto-Martyris Baſilica

CORAM

SENATU, POPULOQUE ACADEMICO,

Excellentiſſimo, Illuſtriſſimo, Reverendiſſimo,

Ac Ampliſſimo

AUDITORIO

PROMOTORE

FRANCISCO, ANTONIO, DOMINICO VOGL,

AA. LL. Philoſophiæ & Medicinæ Doctore, Sac. Cæſ. Reg. Cath. Majeſtatis Imperatricis Viduæ ELISABETHÆ CHRISTINÆ Aulæ-Medico, Profeſſore publico emerito, Xenodochii Aulico-Cæſareo-Regii Phyſico, nec non Inclytæ Facultatis Medicæ p. t.

DECANO SPECTABILI.

Die XVIII. Novembris Anno M. DCC. XLIX.

VIENNÆ AUSTRIÆ,

Typis Franciſci Andreæ Kirchberger, Univerſitatis Typographi.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

ALLOCUTIO PRÆSENTATORIA,

CORAM *REVERENDISSIMO, PERILLUSTRI AC AMPLISSIMO* DOMINO, DOMINO UNIVERSITATIS CANCELLARIO

Pro Cancellis aperiendis habita.

DUabus alis inſtructus ſit oportet , qui ſive in Sacra ſeu Profana Republica ad amplos honorum gradus evolare contendit, Virtute nempe & Scientia *Reverendiſſime, Perilluſtris ac Ampliſſime Domine Celeberrimæ & Antiquiſſimæ Univerſitatis Viennenſis Cancellarie.* Cum virtute abſque ſcientia bene vivet quiſpiam , aſt vel munus illi , vel ille muneri defuturus eſt ; cum ſcientia ſine virtute eruditus audiet, ſed non pius, una alteri famulatur, neutra ſibi ſufficit, utraque ſit ornatus , qui ad alta aſpirat. Atque ſimilibus dotibus conſpicuos hos octo pro ſuprema Medicinæ Laurea Candidatos

Tibi ſiſto *Reverendiſſime ac Ampliſſime Domine Cancellarie.* Illud cumprimis ad hos pertinere arbitratus ſum, quod de Quinto Maximo & Publio Scipione ad poſterorum eruditionem monumentis traditum eſt: dictitabat nempe uterque identidem ſe ad ſumma quæque pro Republica ſuſcipienda facinora continuo inflammari, dum in Majorum ſuorum animos attentius intueretur; quemadmodum Iſti armis & conſilio, ita Hi, quos coram cernis, perpetua librorum lectitatione tanta Prædeceſſorum ſuorum veſtigiis inſtitêre ſolertia, ut rerum a ſe geſtarum famâ & gloriâ Majores ſuos pene adæquarent; quod enim morbi genus Illis ignotum fuit, aut eſſe potuit, illud hauſtâ e ſaluberrimis libris ſolidâ doctrinâ, induſtria comite, ipſaque Experientia Magiſtra aut morborum principiis obſtare, aut illos, qui altiores jam in corporibus radices egerant, felicius præſcindere didicêre, Quorum denique eruditionem, dum Viri longo uſu Exercitatiſſimi, & privatos inter congreſſus, & publicas non raro diſceptationes periclitarentur, tam firmam ſemper reperêrunt, ut tantam in Diſcipulis doctrinam ſuſpicerent, quantique olim in arte Magiſtri futuri eſſent, haud obſcure inde conjicerent. Quid igitur? Digna laboribus, digna meritis præmia & ſupplices poſtulant, & cupiunt avidiſſime, nec immerito; ſic miles hoſtilibus clarus exuviis nomen ſuum novo honoris titulo illuſtrari petit, ſic navarchus, ſuperatis fluctuum ſcopulorumque periculis, tranquillo in portu navigia coronat. Quare deprecatoris munere mihi ſungendum eſſe video, quod eo lubentius ſuſcipio, cum ſingulare Tuum bene meritis gratificandi ſtudium ſummamque in Te poteſtatem, & ſciam, & omni humanitatis officio venerer: quis enim unquam eorum, qui Tibi ſupplicem porrigebant tabulam aut triſtis abs Te diſceſſit, aut precibus ſuis non ſubſcriptum fuiſſe lamentatus eſt? Novi equidem Ego, Bonique omnes id unum Tibi in votis eſſe, ut ſint quamplurimi, & virtute & liberalibus artibus exculti, quibus ampliſſimos quosque honores, ut deſideras, conferre poſſis. Quamobrem, ut & Hos DD. Candidatos votorum ſuorum compotes reddas, & ad ſubeundum rigoroſum examen Cancellos aperias iterum iterumque Tibi ſupplico, quod, uti eximiæ Tuæ Benevolentiæ confiſus DD. Candidatis non tam evenire exopto, quam polliceor, ita me Tuis *Reverendiſſime ac Ampliſſime Domine* una cum Inclyta Facultate mea favoribus, ſummo, quo par eſt, obſequendi ſtudio commendo, devoveoque.

DIS-

DISSERTATIO PROMOTORIS DE EXCELLENTIA ET UTILITATE MEDICINÆ.

SI tanta mihi hodie foret dicendi libertas, quanta Veſtra eſt AA. Academici de Medicinæ prærogativis, quam plurima audiendi cupiditas, ſponte ſua mihi flueret Oratio in tanta & rerum pulcherrimarum abundantia, & in tanta ſcientiæ ipſius omnium facile principis verſanti dignitate. Quoniam vero ipſe jam ab adoleſcentia hujus diſciplinæ principiis imbutus ætatem reliquam omnem in hoc nobiliſſimo ſtudio conſumpſerim, vereor magnopere, ne ea, quæ de Excellentia & Utilitate hujus ſaluberrimæ diſciplinæ dicere decrevi, a quamplurimis ſiniſtrorſum accipiantur, & privato cuidam, quo ſemper in hanc ſcientiam ferebar, tribuantur affectui, quæ jure ſuo ſibi ſemper vendicarit Medicina, ut adeo non immerito pertimeſcendum ſit plus ornamenti fortaſſis huic nobiliſſimæ ſcientiæ derogatum iri, quam laudis & honoris eidem mea dictione acceſſurum. Qua ſuper re cum

diu anxius penderem opportune occurrebat animo, quod de Democrito Græcorum in annalibus in rem plane meam eſt reperire, diſputabat Is Athenis, diſcipulorum immixtus cumulo, facunde ut ſolebat de ſua Philoſophia, cum a prætereunte forte mercatore, faceti homine ingenii per jocum interpellaretur, næ tu, ajebat, Democrite tota die te, tuamque decantas Philoſophiam, cui Democritus, dic ſodes, qua die mercatum venientibus merces tuas explicare neglexiſti? Quo dicto ſcite eluſus domum ſuam repetiit. Hac ego jam lorica indutus, hoc ſcuto munitus ea, quæ de Medicinæ laudibus perorare conſtitui intrepidus aggrediar, atque ut Vos, Qui ad ſupremam Medicinæ Lauream aſpiratis, unice cumprimis intelligatis, cui rei ſtudia Veſtra atque conatus omnes dicaveritis Medicinam eſſe ſcientiam Veſtris ob ſuam Excellentiam digniſſimam laboribus pro virili demonſtrabo, ut vero Vobis ſit compertum operam Veſtram minime fuiſſe fruſtraneam, ſed Vos ob labores impenſos & fortunis Veſtris & Reipublicæ incolumitati conſuluiſſe plurimum Medicinam ſcientiam utiliſſimam pronunciabo, quibus de rebus, ubi paucis diſſeruero animum advertite.

Maximum unde ſibi pretium ſcientiæ vendicant, unde ſibi una præ altera veluti principatum arrogat, objectum eſt opinor, circa quod & ipſa verſatur, & ſcientiæ ſtudioſi plerumque occupantur. Sane, ubi Aſtronomia in contemplandis pulcherrimorum ſyderum motibus, quæ tanta ſunt, tam auguſta, tam grandia, ut cæca illa gentilitas, aut Deos eſſe, aut Deorum certe cultu digniſſima pronunciaverit, conſiſtit, ubi illa per accuratiſſima in hunc finem fabricata teleſcopia & montes in luna & maria, verbo, alterum veluti orbem deregit, ubi varias ſolis lunæque oppoſitiones aut conjunctiones prædicit, unde ſua Chronologia principia mutuavit, quis, inquam, Aſtronomiam ſcientiam eſſe nobiliſſimam inficias eat vel hoc ſolum titulo, quod illa circa hæc corpora pulcherrima alumnos ſuos diu noctuque exerceat? Agite vero Patres Conſcripti, quodnam illud objectum, circa quod ſcientia Medica ſuam potiſſimum virtutem exſerit? Corpus humanum eſſe unanimi mihi voce reponetis, ita vero eſt AA. corpus humanum eſt illud perfectiſſimum ſupremi Architecti opus, illa omnibus gentibus obſtupeſcenda fabrica, ille parvus mundus. Neque iſtud ſilentio prætereundum eſſe judico, quod ſacris e paginis ſum allaturus. Nemo eſt, qui ignoret, cum ſupremus rerum Artifex DEUS indigeſtam univerſi molem in ordinem aliquem redegiſſet, lucemque ſeparaſſet a tenebris, aquarumque vim in certos terræ limites coëgiſſet, cœlos ornaſſet ſyderibus, terram floribus veſtiviſſet, nemo, inquam,

quam, eſt, qui ignoret, ea omnia unico immenſæ potentiæ ſuæ vocabulo *FIAT*, eſſe perfecta; *Fiat Lux & facta eſt Lux.* * Ubi vero ad creandum hominem deventum eſſet, non verbulo illo *FIAT*, uſus eſt DEUS, ſed Ipſe hujus admirandæ fabricæ ſtructor, Ipſe ſingulari modo Architectus fuit, ita, ut cum rerum omnium Author ſit & Moderator in effingendo tamen corpore humano ſe modo in creandis cæteris omnibus longe diſtincto occupare voluiſſe non obſcure declaraverit; *Formavit igitur Dominus DEUS hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem.* ** Circa hoc itaque Veſtra Saluberrimæ Medicinæ DD. Licentiati verſabuntur ſtudia, huic diu noctuque inſudabitis, in illud denique curandum omni ſtudio incumbetis, quod terræ Cœlique Arbiter DEUS dignum ſe, dignum potentia ſua opus arbitrabatur, atque ſi rerum humanarum conſervatio, nova identidem creatio ſapientibus omnibus ſemper fuit habita, Vos Numen Clementiſſimum, idoneis ad hanc ſcientiam colendam dotibus inſtructos, in conſervanda humani corporis integritate novæ veluti creationis Socios, Adjutoresque conſtituit.

Verum hic labor, hoc opus. Ardua ſane res eſt AA. ita in curandis variis morborum generibus prævenire tempori, ut prima mali ſemina in herba ſuffocentur, ita firmiſſimas malorum radices in leviores morborum ſpecies traducere, ut præſentiſſimum vitæ diſcrimen in quandam veluti ſecuritatem degeneret, longævum id poſtulat uſum, ſummam perſpicaciam, maximam denique multarum rerum notitiam, aſt vel ideo rara atque excellens eſt Medicorum ſcientia. Fabuloſa commiſcebatur Græcia, Momum, aſſueta ſua res alienas cavillandi libidine, illud ſolum Prometheo in effingenda hominis ſtatua dediſſe vitio, quod feneſtram lævæ hominis parti non incidiſſet, qua futurum, ut ſingulorum cordis arcana patuiſſent ſingulis. Profecto ſi ſimili hiatu corpus humanum a natura fuiſſet inſtructum, neque Nos adeo pernoſcendis morborum generibus laboraremus. Quare cum omni ad intimam hominis ſtructuram penetrandam aditu præcludamur, unde ſinguli pene morbi pullulare, ſuamque trahere originem conſueverunt, exterioribus tantummodo arteriæ pulſibus admonemur, indeque mutatum priſtinæ valetudinis ſtatum advertimus, quemadmodum ſtruendorum horologiorum peritus aut velociori, aut tardiori indicis curſu, internam horologii ſtructuram perturbatam eſſe haud obſcure animadvertit. Quis vero AA. vitiati corporis veſtigium deprehendat, cum tot e fontibus ſiniſtra valetudo promanare poſſit, ni-

ſi

* Gen. 1. ** Gen. 2.

ſi Anatomiæ gnarus ipſa cadaverum viſcera artifice penicillo rimetur, ſibique ad intima hujus amœniſſimæ fabricæ penetralia aditum reſeret, ibidemque admirandam illam corporis humani compagem, cerebri ſubſtantiam, nervorum, arteriarumque cum organis aliis nexum, conſtrictionem cordis atque dilatationem, perennem ſanguinis diſcurſum, muſculorum & tendinum vires, reſpirandi denique facultatem ſibi atque Reipublicæ profutura eruditione condiſcat? Verum neque hic Medicæ ſtudioſus induſtriæ ſuæ aut limites præfigat, aut ſcientiæ hujus terminum conſecutum fuiſſe ſibi plaudat; Quid enim hæc omnia ſumma induſtria perſpexiſſe juverit, niſi ex partium harum corruptela oriundis morbis opportuna pharmaca attulerit, quæ cum ex varia potiſſimum florum herbarumque commixtione conſurgant, Botanicam ſæpe ſæpius in conſilium vocare oportebit, quæ horum vim atque virtutem pro diverſa ægre habentium naturæ conſtitutione ob oculos ponet.

Quis jam Veſtrum eſt AA. qui ſcientiam Medicam, quæ ſe ſola minime contenta, verum Anatomiam, Botanicam, atque Pharmaceuticam nobiliſſimas ſcientias in individuas ſibi comites adlegit, & plurimas alias facultates dignitate antecellere, & Veſtris digniſſimam eſſe lucubrationibus, non lubens agnoſcat, atque una mecum deprædicet?

Porro his firmiſſimis Facultatem Medicam præſidiis ornatam & ampliſſimis in omnem Rempublicam proferre fructus, quin toti generi humano maxime eſſe proficuam, id eſt, quod ſua ſponte conſequitur. Dicite enim vero, Vos appello AA. quod munus auguſtius, quis favor jucundior a bonorum omnium Authore DEO humano generi contingere poterat firma corporis valetudine, viriumque robore? Ita, ut quamvis hunc pollere opibus, illum ingenii ſagacitate, alterum denique generis antiquitate, ſuique nominis fama præſtare cæteris conſpiciamus, hujus tamen boni felicitatem ad quemvis pertinere procul dubio advertamus: date enim hominem ipſa rerum abundantia laborantem, cum morbis tamen illum perpetuo conflictari concedite, iſtum contra fortunis omnibus exutum, ſalvum tamen eſſe jubete atque incolumem, utrum horum beatiorem eſſe compellabitis? Et vero divitiarum atque honorum quoddam eſſe inter homines diſcrimen, hunc principem naſci, illum ruſticum divina lege ſancitum fuit, ut nempe ſuus rebus humanis ineſſet ordo, attamen integra quemvis uti valetudine, aut ſi illa excidit Medica quamprimum arte eum ad hanc recuperandam adjuvare perquam eſt neceſ-

ſa-

ſarium, neque enim fracto corpore aratrum vertere colono datum eſt, neque militi infirma manu vibrare gladium, neque Regibus gubernare populos languente capite. Quæ cum ita ſint, Divinam Illam eſſe ſcientiam ſemper exiſtimavi; quæ rei adeo neceſſariæ, atque proficuæ promptam ſemper opem adferre novit: quanquam dura illa Lex atque inevitabilis moriendi neceſſitas mortalibus omnibus ſit impoſita, ſi tamen Lex dura compellanda eſt, cum illam frugi hominibus veram apportare felicitatem vel Ethnico teſte didicerimus, qui in hunc modum canit: - - - - - *ultima ſemper*

Expectanda dies homini eſt, dicique beatus
Ante obitum nemo, ſupremaque funera debet.

Ovid. 3. Metamorph.

Adoleſcentulum tamen hominem præmaturis fatis abripi acerbum eſt parentibus vulnus, & ſenes conſilio potentes licet ſibi ſatis vixerint, Reipublicæ certe non ſatis: Hos inquam diem ſuum obire ægerrime ferunt civitates, quos cum Medica diſciplina non invito perſæpe Numine ſalvos præſtet, quæ illa eſt ſcientia utilior, quæ exoptatior? Fortunatam igitur Te Medicam, quæ tot non raro Reges, atque Imperatores ex ipſis pene mortis faucibus eripuiſti, ut diutius ſua populis tranquillitas, ſua regnis conſtaret incolumitas, tot clariſſimis ſago, togaque Viris vitæ annos produxiſti, quorum funere integra ſæpe regna conſepulta jacuiſſent; Vos vero longe feliciſſimos, qui tam Nobili ſcientiæ ſtudia Veſtra non modo addixiſtis, verum indefeſſa induſtria Veſtra eam jamjam ad exoptatam maturitatem perduxiſtis; perſiſtite igitur DD. Licentiati in paratis Vobis honorum ſubſelliis, nil reſtat amplius quam exſpectata Vobis omnibus, poſt dura longiſſimi curriculi tædia Doctoratus Laurea, digna contentione Veſtra, digna ingenio, digna eruditione merces, Illa honeſtæ gloriæ cupidum ſatiabit animum, Illa Nominis Veſtri famam novis illuſtrabit acceſſionibus, Illa viam ſternet ad honores maximos in Republica ordinatim petendos, Illa Vobis a populis ſumma venerationis officia extorquebit, quod ipſum ſapientiſſimus olim Rex Salomon ad poſterorum documenta mandavit literis, dum ajebat: *Honora Medicum propter neceſſitatem*; ut vero hæc legitime conſequamini depoſito pro more Juramento Vos obſtringite ſervare ea, quæ præleget Pedellus.

JURAMENTUM DOCTORANDORUM IN MEDICINA.

Domini Licentiati, antequam recipiatis inſignia Doctoralia, prius jurabitis:

PRimo, quod velitis legere in Facultate Medica per unum annum, niſi Facultas Vobiscum ſuper hoc duxerit diſpenſandum.

Secundo, quod gradum Doctoratûs in Medicina in nulla alia Univerſitate reſumatis.

Tertio, quod velitis ſervare ſtatuta, & ſtatuenda per Facultatem prædictam.

Quarto, quod velitis ſervare pacem, & unionem inter quatuor Facultates & Nationes, & inter Sæculares, & Religioſos, quantum in Vobis eſt.

Dicatis: Ego Juro.

Forma promovendi in Univerſitate Viennenſi uſitata.

PRæſtitis itaque, quæ præſtanda erant. *Ego &c. Authoritate Pontificia, Cæſarea, Regiaque more inſtitutoque Academico* Vos omnes & Singulos *Prænobiles, Excellentes, & Doctiſſimos Dominos AA. LL. & Philoſophiæ Magiſtros, Saluberrimæ Medicinæ Licentiatos Formatos, Teque* imprimis D. &c. in Doctores Medicinæ creo, facio, & declaro, atque ita creatos, factos & declaratos volo, dans Vobis poteſtatem Doctoralem Cathedram conſcendendi, Medicinam docendi, legendi, ac interpretandi, omnibusque Privilegiis, Juribus, ac Immunitatibus, tum hujus Celeberrimæ, ac Antiquiſſimæ Univerſitatis Viennenſis, tum aliarum in toto terrarum orbe, Univerſitatum gaudendi, id quod cedat in DEI Ter Optimi, Maximi gloriam: Beatiſſimæ ſine labe originali Conceptæ Virginis MARIÆ, ac omnium SS., Divorumque Tutelarium DD. Coſmæ & Damiani honorem: Sacræ Catholicæ, & Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ, Auguſtiſſimæque Domus Auſtriacæ incrementum: Univerſitatis Viennenſis, & Inclytæ Facultatis Medicæ Decus & Ornamentum:

In Nomine Patris, ✝ & Filii, ✝ & Spiritus ſancti, ✝ Amen.

Quan-

Quanquam nil ultra in Vobis deſiderari poſſit, quod ad internum Doctoris valorem imprimis faceret, attamen cum quamplurimi Medicum ab externo quodam apparatu etiam æſtimare ſoleant, Vobis Excellentiſſimi Domini Neo-Doctores inſignia Doctoralia impertiar.

INSIGNIUM DOCTORALIUM DISTRIBUTIO.

Epomis, ſive Pallium Doctorale.

GAudeo vehementer, lætorque Excellentiſſime Domine Neo-Doctor, me facultatem nactum fuiſſe, Tibi privato novam Doctoratus dignitatem gratulandi, quæ, ut Tibi e voto cedat, Cœlum ipſum deprecabor. Cape Pallium ſapientiæ veſtem, quam Tibi induſtria Tua texuiſſe viſa eſt, quod tamen ubi humeris Tuis injicio, fabulam illam vulgo notam in memoriam revoco: Memineris Phœbum inter, ac Boream exortam fuiſſe litem, viribus uter alteri præſtaret, forte viator id temporis carpebat iter pallio indutus, tum Boreas ad Phœbum, vis litem in hoc mortali dirimi noſtram? Qui prior homini pallium excuſſerit, victoris nomen gerat, annuente Phœbo buccas inflat Boreas, homine ſe ſemper magis magisque involvente pallio, ubi vero Phœbus altiores vibrare radios occeperat, tanti caloris impatiens viator pallium ultro abjeciſſe fertur, contrarium Tibi plane ſuaſero Domine Neo-Doctor, nam, ubi de difficillimis morborum generibus decernendi copiâ delatâ, dubia inter conſilia quodam anxietatis æſtu torreberis, ne tu Pallium abjeceris, hôc enim abjectô Doctorem exuiſti.

Pirethum, ſive Pileus Doctoralis.

PIleum Tibi dono Excellentiſſime, ac Doctiſſime Domine Neo-Doctor alterum honoris ſignum: Veteribus id moris erat Atletharum capita ludis peractis Lauris redimere victricibus, Lauri hodie vices pileus iſte obire videtur. Atque ubi ille non niſi doctis veluti non dubia doctrinæ teſſera imponi ſolet, Tibi illum jure quodam poſtulas; Perge igitur felicibus avibus, nam pileo Tu decus es, ille Tibi decori eſt, utrumque Magiſtro Promotor gratulor.

Annulus.

FIdelitatis, atque rei ſine fine duraturæ typum nobis annulus præbet, illum ubi Tibi communibus votis Medicina decrevit Excellentiſſime Domine Neo-Doctor, quid aliud a Te tacite exigere videtur, niſi fidum atque conſtantem ſui ſectatorem, Ego vero Medicinæ ſe Tibi per hunc deſponſanti carmen addo:

Conjugis hic titulos tibi confert annulus, addet
Qui Patris titulos, annulus alter erit.

Iterum Annulus.

ANnulum iterato offert Medicina Excellentiſſime Domine Neo-Doctor, & cur ad tam nobile munus Frontem contrahis? Forſitan, quod Medicina annulos hodie pluribus (qui tamen pro fidei, ac conſtantiæ teſtimonio uni tantum tribui ſolent) deferat, Illam continuo inconſtantiæ poſtulas? Falleris! cum pluribus Illa fœdus pangere, datamque noſcit ſervare fidem: id Tibi exemplo ſit, ut nempe ſine ullo hominum diſcrimine humiles æque caſas, atque ſuperba Nobilium viſites limina, ſic fiet, ut, dum unus multis Tuam obtuleris opem, plurimi ſuas Tibi opes rependant.

Liber apertus.

APertum Tuis manibus conſigno Librum Excellentiſſime Domine Neo-Doctor, verum non ideo apertum, ceu illum a Te poſthac aperiendum diffiderem, ſed ne arcanorum quidpiam in Nobiliſſima hac ſcientia Te latere poſſit. Hippocratem liber refert, in quem veluti in ſpeculum Medicorum quivis frequentiſſime intueatur; ſi Hippocratem Liber refert, ſpeculique munus præſtat, quidni dum in illud intueberis. Te Hippocrati ſimillimum reddet, cave igitur ſedulo, ne ſub Hippocratis habitu Hippocrates requiratur.

Liber clauſus.

AUguſtius Tibi munus offerre Medicina non valuit, Excellentiſſime Domine Neo-Doctor: En Divinum Hippocratem clauſum Tibi porrigo, id Tibi indicio ſit, quanta vigilantia cuſtodiendus. Mercatoribus id fere vulgare eſt, ut nempe merces ſuas quo pretio-

ſio-

ſiores, eo pluribus involucris inſertas habeant, attamen non raro illas explicant, ne forte a tineis vitium contrahant: Tibi quid agendum ſit mercatores conſule.

Torques aureus.

NOn niſi Viros domi, foriſque de Republica optime meritos Principes torque aureo beare ſolent, ceu luculentiſſimo rei bene geſtæ monumento: Tibi Excellentiſſime Domine Neo-Doctor, cum hunc Medicina per me oblatum cupit, aut Te de Medicina optime meritum, aut certe meriturum arbitratur: Aureus eſt torques, ut memineris pharmaca ex auro confecta ad morbos depellendos multum in ſe virtutis continere, ſimilia Tu ægrotis pharmaca ſæpius præſcribe, ſic curabis & curaberis.

Amplexus.

UNum Te amplector, at vero in uno Vos omnes Excellentiſſimos ac Doctiſſimos Dominos Neo-Doctores, ſummo & amoris & venerationis affectu ſtringo; hoc vero tenerum amoris pignus non tam Ego Vobis, quam Medicina Ipſa per me veluti optima parens filiis ſuis chariſſimis impertitur; Illam igitur ut Parentem optimam colite, ita hæc officii ſui memor Vos nutriet, fovebit, atque ad ſummas dignitates promovebit.

Seſſio.

SEdete igitur, & ſub amœniſſimis honorum lauris pauliſper quieſcite: ut tamen quies hæc Veſtra erudita ſit; Utrum in Schola Medica plus utilitatis adferat Neotericorum, an veterum doctrina? Vobis diſquirendum committo: Ac primam quidem partem Excellentiſſimus Dominus Doctor Ferdinandus Joſephus Setti facundiâ ſuâ commonſtrabit, alteram vero Excellentiſſimus Dominus Doctor Benedictus Leopoldus Rhein pro viribus tuebitur.

*** *** ***

PROBLEMATIS
PARS PRIMA
PERORANTE
D. DOCTORE SETTI.

SI quis unquam fuit AA., qui in hoc ampliſſimo, ac celeberrimo ſapientiæ conſeſſu primum dicturus aperte trepidaverit, eum ipſum me eſſe ſentio, & Vos, qui hic conſidetis, ſenſiſſe jam video. Etenim cum pro Arte Aſclepiadea dicendi mihi munus incumbat, eique ante ſpectatiſſimum tot litteratorum cœtum, tum in ea civitate, e cujus ſinu totidem ad noſtra uſque tempora ſapientiſſimi pullulârunt doctrinarum fontes, ſuum reverentiæ gradum, ad quem noſtra hac ætate evecta eſt, conciliare oporteat, dubia, fateor, mihi mens hæret non ſatis perſpiciens, quonam modo tantarum rerum magnitudini poſſit ſatisfieri: quoniam vero aleam hanc, quocunque res cadat, ſubire mihi neceſſum eſt, veſtramque in audiendo benevolentiam ulterius remorari non decet, rem aggredior eo lubentius, quo ſorte quadam ſuam doctrinæ Medicæ dignitatem per indefeſſos Virorum noſtris ſæculis Clariſſimorum labores reſtitutam, contra antiquum illud ſcribendi cacoethes defendam. Medicinam agro comparaveris, quem infeſtaverint noxiæ, aut inutiles herbæ, adeo frumentum ſuperat zizania; id incommodi peſſima ignoratarum ſcientiarum culpa admiſſum fuiſſe, quis non crediderit? Hoc illi confeſſum fiet, qui doctrinam Medicam ab ortu ad illa uſque ſæcula, ubi immortalis Harvejus demonſtrationibus ſuis omni antiquitatis doctrina everſa novam omnino certioremque induxerit, acriori non nihil cenſura perſcrutatus fuerit. Ut omnium ſcientiarum, ita etiam Artis Medicæ origo paucis maximeque obviis experimentis nitebatur; primis enim temporibus neque virtus medicamenti ulla, neque morbus, neque auxilium mortalibus cognitum, ſed experimento vago, caſuque fortuito nonnulla detexerunt; hæc collecta dein rudia admodum, & incondita Artis fundamina poſuerunt, donec Hippocrates horum omnium gnarus bona quæque adunando nomen ſcientiæ, & Artis conciliaverit Medicinæ; poſtea vero Galenus magno ingenii acumine præditus hanc ſcientiam magis exornare contendit. Utinam vero

ro obſervatis, & experimentis in ordinem digerendis unice invigilaſſent, nihilque de perverſa, & inepta philoſophandi methodo nobiliſſimæ huic Arti immiſcuiſſent; inde cuncta ex Peripateticis Dogmatibus ad ſervitutis uſque infamiam per elementa, qualitates cardinales, harum gradus, tum & quatuor humores explicantes, quantum Arti emolumenti, tantum damni intulerunt. Cujus candorem Arabes non minus, ac Mauritani obfuſcantes, ſqualentem penitus, & cultu horridam effecerunt, ut voces adeo barbaras crepans ad poſtrema uſque hæc ſæcula inexculta jaceret, inter antiqua verſaretur ſomnia, inter facultates retentrices, attractrices, multasque alias tum ſocias, tum famulas; primarum adhuc qualitatum repagulis Phyſiologica, atque Pathologica coerceretur Doctrina; jecur infectorio munere candidam chyli veſtem in purpuream verteret; lien peculiarem humorem ventriculo pro acetario ad excitandam orexim affunderet; pancreas, cæteræque glandulæ vili adeo tantum vaſa fulciendi miniſterio laborarent; pulmones demum ad cordis antra perfrigeranda, & extrudendas fuligines anhelarent, atque Medici cœcorum ad inſtar cum morbis congrederentur. His ergo cerebri figmentis tandem effectum ut Medicina, quæ ab ortu ſimplici obſervationi acquievit, garrula facta in pugnas verborum, diſputationum tumultus, & Authorum odia deſierit tanto ſui damno, ut vix in aliquorum faſtidioſis voluminibus ſanæ rationis reperiantur veſtigia. Longum profecto foret, ſi Veſtras eruditas aures oneroſa hæreſum Dogmaticæ ſcilicet, Galenicæ, Methodicæ, Empiricæ, ſimiliumque, in quas degeneravit, narratione offendere vellem. Verum cum temporis anguſtia illorum cerebri figmenta ad lydium examinare lapidem haud admittat, ſolum cum Propheta exclamare licebit: *Seniores ſomnia ſomniaverunt, juniores autem viſiones viderunt.* Vacaret hic autem tanto tempore torpentis medici candoris cauſas diſquirere, niſi forſan arbitrari fas ſit, id fato quodam contigiſſe, ut his ultimis ſæculis tota reſervaretur gloriæ plenitudo. Veneranda ſane ultima illa, quæ nunc vivimus, ſæcula, quod ab ipſis fere incunabulis ad extremum uſque ſenium egregia ſuæ virtutis ediderint ſpecimina, ac ſemper valida tot præſtantiſſimos aluerint heroes, ut non niſi nomenclatoris miniſterio juſta fieri poſſet illorum recenſio: hi ergo anatomica ſcientia inſtructi ſumma alacritate velut e ſtativis erumpentes ampliſſimum naturæ imperium ſunt adorti, quorum alii animale regnum, minerale alii, alii vegetabile ſibi perſcrutandum delegēre. Tam provido itaque conſilio, veliſicante fortuna, viam præmonſtrantibus Aquapendente, & Caſſerio in

regni

regni animalis interiora profundius penetratum eſt, cum antea circa oras extremas Anatomicorum ſolertia velitatione quadam oberraſſet; per innumeras ergo animalium cædes, crudeli quidem diligentia, ſed in bonum commune ceſſura, in amplam regionem, aſpectu jucundam, fluentem lacte, ac antiquitati non ante viſum perventum eſt; Lactearum venarum inventum hic intelligo, quod Clariſſimo Aſellio primo in Microcoſmo galaxiam introducenti potiſſimum debemus. Quoniam vero communi tunc temporis præjudicio abreptus, lactearum venarum finem inveſtigare neglexerat, integram, quam ſors obtulerat, gloriæ palmam cum Pecqueto partitus eſt, qui candida primi obſervatoris veſtigia relegens chyloſi laticis ſtagnum, ac thoracica vaſa chylum in ſubclaviam infundentia poſtmodum obſervavit, magnoque applauſu lactearum hiſtoriam abſolvit: fortunati tamen ambo, qui per lacteam viam, ac verius quidem, quam priſci heroes ad nominis immortalitatem migraſtis. Quemadmodum autem proſper eventus ad alium proſperiorem perſæpe viam pandit: ita inſigne lactearum inventum aliud glorioſius, circularis nempe ſanguinis motus excepit: phænomenon iſtud non ſecus ac novum, & prodigioſum in cœlo ſidus omnium oculos in ſe convertit, tanquam in medentium republica magnam portenderet rerum viciſſitudinem. Tam admirabile oſtentum nobis quidem novum, naturæ antiquiſſimum primus omnium mundo viſendum præbuit Celeberrimus Harvejus; peritus ille rerum æſtimator admirandum hoc naturæ magiſterium adeo expolivit, ut certior ſit ſanguinis in microcoſmo circuitus, quam aquarum in macrocoſmo e fluminibus ad mare, & e mari ad fontes, fluminaque pericycloſis. Circulationis porro inventum lympham nervorum, ſalivalem, gaſtricam, pancreaticam, aliaque fluida, tum & eorum vaſa tubulos, curſus, ſitus explanat, monſtrat, revelat. Præclara itaque, & multa ſane ſunt illa a circulationis invento obtingentia ampliandæ ſanguinis, vel fluidorum ſub ſanitate, morbisque doctrinæ, in qua excolenda, & ad leges tum hydraulicas, tum hydroſtaticas exponenda adeo deſudarunt Viri ævi noſtri Clariſſimi: verum præſtantiora ferme ſunt, quæ inde venerunt revelandæ vi ſanguinem illum, vel fluida tractanti, agenti, & regenti; ſolidorum elater, aut potentia ea eſt, unde pendet ſanguinis circuitus, ſecretio liquidorum, totiusque animalis œconomiæ regimen, aut mechanismus: ſyſtaltica virtus eſt illa generalis univerſis viſceribus communis, ſed & ſingulis partibus tam propria, ut ex ſolidis aſſignaveris nullam, quæ preſſoriæ, ſeu elaſticæ illius virtutis ſit expers; ipſæ oſſium lamellæ, fibrillæque ner-

vorum, prementibus membranulis veſtiuntur inquilinis ſcilicet elateribus, qui, quæ illuc advehuntur, lymphas tractant, premunt, dirigunt, illorumque uſibus accommodant: tubulorum corporis agitatoria hæc motio jugis eſt, ad cujus rhythmos, & ictus præterfluentium ſuccorum actæ particulæ ſuas mutant ſuperficies, ſicque modificationes induendo novas, novos ſitus, aut contactus ſibi faciendo in aliusmodi ſubſtantias digeruntur; illud autem coquere eſt, à facto ergo circulationis invento manifeſtæ ſunt ſinceræ coctionum, digeſtionumve rationes, inque his indigena corporis Medicina, quæ ut ſub ſanitate præeſt tuendis ſanitatis legibus, ita, ſub morbis iisdem reſtituendis aſſidet: Condendis vero his Medicinæ fulcris quantam non attulit opem Proſectorum ſolertia? Res parvas, ac minutas omittam, ne relictis fontibus rivulos, ut dici ſolet, conſectari videar. Veſicularem pulmonum compagem mundo detexit Malpighius, vaſculoſam viſcerum fabricam, ac vaſorum myriades Nuckius, & Ruyſchius: veram nervorum originem, & ſtructuram Vieuſſenius, numeroſam glandularum ſobolem, uſumque Warthonus, ac Steno: vaſorum lymphaticorum valvulas Sylvius & Rutbechius, ductus ſalivales Gliſſonius, generationis organa Regnerus de Graff, cordis fabricam Lowerus: muſculorum ſtructuram, & motum ad geometriæ leges nunquam ſatis laudandus Borellus: hisce artibus itaque, his ſtudiis Proſectorum phalanges, ferro, & microſcopio armatæ per totum animale regnum diſcurrentes viſæ ſunt, ut nihil tam abditum eſſet, nil tam profunde repoſitum, quod non in apertam lucem fuerit protractum. Non minori alacritate, nec diſpari ſorte ad ſæculi famam perennandam, in regni mineralis viſcera itum eſt, hicque, in quo ſe exerceret anatomes, invenit, non quidem ferro, ſed igne, magno rerum Analyſta: Vulcani itaque miniſterio foſſilium, & metallorum omnium ferocia perdomita, ac triumphata, eo uſque devenit hermeticorum ſolertia, ut ea, quæ diſcreta dirum, ac mortiferum forent venenum, ſociali juncta vinculo antidoti naturam adſciſcerent: hoc ſæculo profecto hermetica rem plane confecit, omniumque pene, quæ in terræ ſinu natura recondiderat, analyſi facta, Medicam ditavit gazam, effecitque, ut ea, quæ prius *irritamenta malorum* dici poterant, in Medicamenta ſaluberrima tranſierint. Antimonium, ut reliqua alto ſilentio prætereamus, quod tam variam ſortem expertum eſt, ac aliquando tam mala audiit, ut a Pariſienſi Curia olim damnatum fuerit, ac in exilium actum, nunc ope chemica ad tam bonam frugem redactum eſt, ut inter ſelectiora remedia ſuum elegans habeat Nartha-

cium, variosque ad uſus paratum, modo emeticum; modo catharcticum, ac, ſi lubet, etiam cosmeticum evaſerit; hoc pacto quot egregii Viri nomina ſua immortalitati non commendarunt? Libavium videamus, Drebellium, Crollium, Helmontium, Poterium, Tachenium, ac noſtrorum temporum celeberrimorum Virorum Mauritii Hoffmanni, Boerhaavii, & Neumanni prælectiones chemicas. Ea proſperitate æque in vegetabilis regni amplitudine perveſtiganda a Botanicis adlaboratum eſt: neque hujusce rei adeo longe mihi teſtimonia erunt petenda; florentiſſima, quibus litteratus orbis hodiedum gaudet, vegetabilium amœnitatum prata provoco: in his etenim non ſecus, ac nativo in ſolo plantæ omnes ex quacunque mundi plaga ſeu calenti, ſeu algida revulſæ feliciter vernant: diverſa tamen methodo, licet priſcis jam temporibus caput extulerit, noſtra hac ætate exculta eſt Botanica, ut dum antea circa externam plantarum effigiem, & ſignaturam præcipuus impendebatur labor, hodie abſolutam habeamus plantarum hiſtoriam, perfectamque anatomen: oculis enim microſcopio armatis plantarum parenchymata, membranas, fibras, utriculos, canaliculos, per quos liquor nutritius in plantam, & e planta in radices circumfertur, aperte conſpicimus: quod vero præcipuum eſt, innumeris experimentis, non tralatitia Scriptorum fide plantarum omnium, fruticum, ac herbulæ cujusque exploſis veterum fabulis ſatis explorata eſt virtus, quaque in parte præcipue lateat, an in ſaponacea alcalina fixa, an alcalina volatili, aut ſaponacea aceſcente, ſimilive reſideat: ſic non amplius velut olim plantarum cujuscunque ordinis confuſaneo apparatu, excogitataque luxuriæ compoſitione, ut olim de Theriaca Plinius, parantur remedia, ſed tota ſua ſimplicitate, ac nativa dote a cordatis, ingenuisque Profeſſoribus vegetabilia in uſum revocantur: lubenter equidem, ac ut mei muneris eſſet, egregios Profeſſores, qui ſæculis his noſtris Botanicam elaborârunt, hic memorarem; Verum parcant, quæſo, tot Clariſſimorum Virorum manes, ſi illorum nomina, ac geſta unico velut faſce complectar: jactat, æternumque jactabit Caſparum, & Joannem de Bauhinis geminos fratres Helvetia, Paulum Hermannum Batavia; Joannem Rajum Anglia, Robertum Moriſonum Scotia; Joſephum Pittonem Tournefortium Gallia; Fabium Columnam, Lælium, & Joannem Baptiſtam fratres de Triumphetis Italia. Profecto ſi tot experimenta, ſi tot tentamina vel in minimis mente recolamus, citra jactantiæ aleam fas eſt aſſerere, veritatem pæne occupatam, ac tria ampliſſima naturæ regna in Medicam poteſtatem ex toto redacta. Surge itaque jam annilium

ſomniorum Compendium, ſurge antiquitas, & admirare noſtris temporibus triumphantem Medicinam: hisceres mehercule, & attonita admirareris ſapientiſſima animalis, mineralis, atque vegetabilis œconomiæ ſcrutinia, doctrinasque longe diverſas ab eis, quas in mentibus tuis procuderas; mirareris ſane ſtupore perculſa non ſecus, ac Arabes illi, qui in caſtra Pompeji transgreſſi alium admirabantur umbrarum ordinem, quam quem in torrida regione ſpectare conſueverant. Suis ergo novis ſcriptoribus, ſuis viris noſtri ſæculi clariſſimis perſtet honos, & cultus, quod Medicinæ pomeria in commune ægrotantium commodum tam ample, tam feliciter protenderint.

PARS ALTERA
PERORANTE
D. DOCTORE RHEIN.

ERuditiſſimum argumentandi non minus, ac diſſerendi genus eſſe, quo hodierna luce ex hoc honoris theatro coram fulgurante ſapientia ad evertendam Veterum doctrinam utebaris D. Neo-Doctor Adverſarie, quis eſt, qui in dubium auſit revocare? Verum quanto majori verborum ornamento in laudem modernæ Medicinæ excurreras, tanto minorem huic ſcientiæ addidiſti utilitatem, ut non niſi excultis his in dicendo logomachiis moderni ſæculi Medicinam in verborum ambagibus, aut lenociniis, in ætiologiarum commentis, tædioſisve narrationibus unice conſiſtere demonſtrares: Antiquitatem impugnaſti, ut veritatem erueres, cum tamen nil ſit veritate antiquius; nobilitatem ſtuduiſti ſtabilire Medicam, cum tamen ab ortu nil fuerit Medicina nobilius, incertitudinis Veterum medendi artem arguiſti, quaſi opinionibus, & experimentis vagis fuiſſet concreta, jure ne, an injuria? Artium, & ſcientiarum hæc ſors una fuit, omnes invenit, aut facit humanæ mentis induſtria, aut cordis cupiditas; ſed ab hac lue vacat Medicinæ nativitas: hanc igitur, quam ore contumelioſo fœdare non vereris, impollutam vel ab ortu confiteri tibi neceſſum erit, cum non ſit ex cenſu earum, quas fecerat humanus labor, at illarum more, quæ hominibus utiles ſunt, a ſummo rerum Parente condita fuit: itaque dum cæteræ Artes natæ ſunt, Medicina creata fuit, & quæ, illi ſervirent inſtrumenta, Altiſſimus creavit, medicamenta ſcilicet, ne operibus neceſſariis, quibus dicabatur, aliquid defuturum foret: veritatis ergo genus eſt, quod Medicinæ præ cæteris artibus proprium, aut ſingulare; nam tum illa ipſa, tum & ipſius remedia creata ſunt, quis illam ignobilitatis, aut incertitudinis ab ortu accuſabit? Horum aſſertorem ſic ſe fecit Altiſſimus, ut Virum prudentem ab his abhorrere nolit: major porro ut Medicinæ fieret commendatio, ipſum Medicum honorandum eſſe Omnipotentis imperium eſt, cujus diſciplinam, ut venerandam, ſic ejus opera neceſſaria pronuntiat: exſtitiſſe vero, eamque veram in confeſſo eſſe, quis inficiabitur? Imo veriſſimam eam nemo non agnoſcet, utpote ab ipſomet veritatis fonte manantem: neceſſitas autem quantum eſſentiæ, &

exiſten-

exiſtentiæ, tantum uſus, & commoditatis ratione, qua ad hominum ſalutem, & ſanitatem unice collimat, ſe commendat: *DEUS enim mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum. Creavit, ut eſſent, omnia; & ſanabiles fecit nationes orbis terrarum, & non eſt in illis medicamentum exterminii.* Tam honorificum, tamve ſingulare teſtimonium ab eo profectum, qui falli, & fallere vere neſcius eſt, incertamne, aut ſuſpicioſam ſinit Medicinæ conditionem? Nihil igitur ab ortu Medicina habet, quod non acceperit, quod accepit, a creatione tenet; creatio autem DEI eſt, a DEO itaque manat infallibilis omnis creatæ Medicinæ certitudo. Quonam vero indigno lapſu, aut quo infelici portento, quæ cæterarum ſcientiarum utiliſſima eſt Medicina, inſtabilis adeo hucusque facta fuerit, tamque diſparilibus opinionum variationibus adhuc obnoxia jaceat, *mirum, & indignum* cum Plinio, *mirari ſubit, nullam Artium inconſtantiorem, & etiamnum ſæpius mutari, cum ſit fructuoſior nulla.* Artisne hoc vitio? Num Artificum delicto? Ad Artis illius certitudinem omiſſum a Creatore nil fuiſſe, modo expoſitum eſt, eam nimirum accepiſſe ab eo, quidquid implendis omnibus injuncti a Creatore officii partibus opus erat; unde manifeſtum eſt, illud, quo Medicina laborat incerto, precarium eſſe, aut alienum: hanc incertitudinem in mente, aut ingenio hominis habes, illam ab ignoratis vetuſtatis ſcientiis, cerebrique figmentis Medicinæ accidiſſe accuſas: verum quam injuſta cenſura antiquitatem perſtringis? Præclara ejusdem ſtudia, & qualescunque in promovendis ſcientiis conatus attentius, non præjudicio captus intuere: En vetuſtiſſimi in Arte Parentis Hippocratis, cujus doctrinam tam longe, lateque divexare conaris, in obſervando ſimul, & annotando ſolertiam: quomodocunque etenim hunc tuus ſpeculetur animus, agnoſcet ex ea ubique ſupra invidiam clarum, ſupra humanam ſortem felicem, ubique verum, Apollinis æmulum, Coorum Æſculapium? Quæ ſint, quæ fuerint, quæ ventura, examuſſim omnia in qualibet ægritudine referre ſoli datum fuit oculatiſſimo naturæ contemplatori: Enimvero ſi quis advertit animum ad miram illam, qua diſtinguit prudentia natos per Medicum, miniſtros, medicamenta, atque ægrum in morbis errores ab iis malis, quæ ipſa morbi indoles produxit, Lynceum ſibi, Phoſphorum aliis fuiſſe pronuntiabit. Omnium profecto, quorum memoria extat ſæculorum Viri Medici tot in morbis phænomena ne junctis quidem operis deſcripſere, quot nobis relinquenda curavit ſolus ille arcanorum ſcrutator; quis anniverſarias cœli tempeſtates, ut ſolennium morborum cauſas evulgavit? Quis peculiares aëris viciſſitu-

dines, æſtus, frigora, imbres, ſqualores, ventorum furores, horumve ſilentia hos vel illos morbos generare aperuit? Quis ex regionum ſitu, terræ natura, aquarum copia, motu, vel ſtagnis? Quis ex telluris exhalationibus, ex montium poſitura cauſas popularis necis detexit? Quis integras hac ſapientia gentes ſervavit? Hippocrates: O ſalutarem generi humano, neque unquam ſat laudandum virum. Quid amplius jam de induſtria illius dicam? qua vitam, victum, potum, labores, atque mores gentium examinavit, qua ſtudii anatomici neceſſitatem in *libris de corde*, *oſſium natura*, *venis*, *humoribus*, *genitura*, *principiis*, *& carnibus*, *glandulis itidem*, *ac natura humana* excoluit; qua chirurgiæ utilitatem in *libris de fracturis*, *articulis*, *vulneribus capitis*, *de fiſtulis*, aliisque ſtabilire contendit: quid ultra, quæſo, memorem relatas ab ipſo eas rerum minutias, quarum aſpectum refugerent ignari, illius tamen monitis prudentes ſatis graves experiuntur. Vos vero, quibus in adyta veritatis penetrare amor eſt, intrate firmo pectore in penetralia ſalutis, quorum atria tabulis Hippocraticis ſuperbiunt, naturæ oraculis de aëre, locis, atque aquis inſignitis: verum ſi major menti veſtræ cupido, neque veſtibuli ornamento contentis ipſum muſæum ingredi lubet, audaces ite, ut contemplemini Venerandum Senem deſcribendis Epidemicis occupatiſſimum: neque mora erit, quin audituri ſitis gravem ſapientis vocem, qua dictat ſuis non obſervanda tantum ſexus, ætatis, atque indolis diſcrimina, non exercitia ſolum, mores, victumque ægrotantium, neque aëris ſufficere deſcriptionem, quoties deſignandi ſunt illi, qui hac, illave populari peſte præter cæteros fuere infeſtati: videbitis præterea depingentem oculorum, capillorum, atque cutis nativos colores, cernetis exarantem, an lingua volubilis, an balbutiens, voxne gracilis, an gravis fuerit, atque infinita quidem talia non hic memoranda ideo omnia nos docet, ut ſingulare cognoſcamus temperamentum eorum, qui graſſanti malo magis erant obnoxii: ideo hæc nobis inculcat, ut ducem habeamus, cujus ad exemplum nosmet in obſervandis ægris geramus: verum cuncta hæc in medium adducere non dubitavi, ut conſtet, ſigna dignoſcendi morbos neminem exactius, propria illis mala neminem accuratius, artem de illorum fatis vaticinandi neminem verius tradidiſſe: ſive illorum primordia, incrementa, exitus, ſive & miras illas, atque raro deſcriptas permutationes addiſcere juvat, ſolus ille honeſto ſatisfaciet deſiderio: attamen quanta ille in detegendis morbis polluit perſpicacia, tanta in profligandis iisdem gaudebat prudentia: ita enim in Artis exercitatione ſe geſſit, ut ſuo docuerit exemplo poſt nitidam

mor-

morborum delineationem, haud aliud Medico incumbere, quam ut probe compertam, atque ſucceſſuum proſperitate confirmatam eos tollendi viam inveniat: nulla enim Viro fuit in applicando remedio temeritas, nulla illi in obſervando effectu feſtinatio, nulla in ſiniſtris eventibus occultatio, nulla in extollendis proſperis jactantia: obtemperans morbo ei imperat, ſuis illam artibus vincit, tumque deficientes vitæ vires erigit, vel furentis in ſua damna impetus temperat, pauca, ſed certa, vilia, ſed apta remedia invenit: ille morborum decurſus, atque velocitates ſpeculatus atros horum, albosve dies obſervans materiæ morboſæ motibus vel obſecundans, vel hos moderans, cruditates ejus digerens, matura per vias ab ipſo morbo indicatas comitans, eorum ſeceſſus dirigens, expellenda promovens, imitator denique, & auxiliator potius, quam temerario auſu perturbator, omnibus ſalutis, nulli necis artifex celebrandus eſt: nocentia, quæ ſors, juvantia, quæ Ars, vel caſus obtulit, rimatus, remedia reperit, tempus, modumque, quo hoſtem viſceribus excutit, ſibi permiſſa natura contemplatus, utendi medicamentis regulas ſtabilivit: ea poſtquam annoſa, atque quotidie exculta munivit experientia, poſtquam mille eventuum felicitate comprobata dedit, tum demum ſatis idonee inſtructum ſe exiſtimavit, qui herbarum, foſſilium, atque animalium virtutes traderet: neque nudas enarraſſe illas contentus, cautelas, monitaque addidit, quibus Artis imperitos ab ejus exercitio arceret: ſi vera jam audire juvat, ſi vera eloqui ſine invidia liceat, hæc vera eſt, hæc ſola ægrotis ſuccurrendi via; non eſt, non invenietur alia, niſi qua in perniciem humani generis, non in ſalutem itur: atque inde natam arbitror, eorum, quæ ſcripſit, æternitatem: hinc ortam puto, illorum, quæ totidem ſæculorum examen ſuſtinuerunt, integritatem: evolvatur illorum ordo, mutatæ Hippocraticæ veritatis facies nullibi apparebit: excutite Grajos, cognoſcite Romanos, verſate Arabes, repetitam, atque confirmatam ubique invenietis doctrinam Hippocratis. Ex his enim, quorum ad nos memoria pervenit Diocles Charyſtius, Aretæus Cappadox, Ruffus Epheſius, Soranus, Galenus, Ægineta, Trallianus, Ætius, Oribaſius, aliique quidquid habent eximii, illi debent: Romani, quos inter Celſus excellit, & Plinius, Hippocratem Numinis loco habent, ad ejus effata, ut ad oraculum confugiunt: Arabum optimi purum putum deſcribunt Galenum, qui ubi verus, ibi totus Hippocraticus. En totius jam antiquitatis coryphæos omnes imbutos Artis Hippocraticæ regulis, omnes inſtructos remediis, ut per totam Græciam ægris mederentur: hæc felicia ſane Artis fata! hæc fortunata

nata

nata tempora! cum unus atque idem ſapientiſſimus tot artificum peritorum magiſter, verum, admirabilem, utilem, imo prope divinum, quem calcavit, acquirendæ ſapientiæ Medicæ modum & opere, & verbis præmonſtravit. Heu vero! quantum deſcivit, ſecutis dein ſæculis, quæ adeo deprædicas D. Neo-Doctor Adverſarie a priſca gloria Medicina, quam turpiter ab efficaciſſimo Artis magiſtro, uſu, ad figmenta ludentis ingenii defecit! damnoſa quid non imminuit inertia! dum a laborioſa obſervatione ad philoſophorum placita, a dictatis naturæ, ad garrulitatem, ab Hippocratis effatis, ad lubidinem fingendi devolutam dolemus? Cogites, amabo, quid ſortitum ſit felicitatis apud ſapientes, Medicos imprimis, de ordinata corporis humani œconomia commentum juxta geometriæ leges? Quid liquidorum corporis noſtri medios inter ignes examen, ex quo ſpontaneas horum degenerationes deducunt, utilitatis attulit? Quid ſimplicium, aut compoſitorum acervus pluris ad ægrotantium ſalutem contulit? *Medicina quondam*, ajebat Seneca, *paucarum fuit ſcientia herbarum, quibus fluens ſiſteretur ſanguis, vulnera coirent paulatim*: Hanc etiam ob rem, quæ certa e ſinu naturæ prodierat, Medicina, Artis hallucinationibus indecore mancipata inhoneſte ſerviit, nobilemque, quam ab inſtitutione ſortita fuerat, ſimplicitatem exuens, ſomniis phantaſiæ, & phantaſmatum deliriis miſere famulata eſt: commenta ſunt, aut hypotheſes, quæ dubitabilia ſemper, ſuſpectaque falſi, veritatis inveniendæ inſtrumenta: conceſſo tamen veritates eſſe, alienæ veritates erunt, quæ cum inter ſe tantum privatim comparatæ certæ ſunt, ambiguæ fiunt alteri attributæ rei; potiſſimum, quæ a natura inſitas habet, & proprias veritates: liceat autem tibi D. Neo-Doctor Adverſarie, etiam in abdita corporis principia, in occultas vetuſtatis qualitates penetrare, plusne ad praxim redundabit certitudinis? Confugiamus ad Hippocratem, accuſabimus ſpiritus inſontes, cum Galeno conſulamus temperamenta aut qualitates, Archæum dicamus eſſe iratum cum Paracelſo, cum recentioribus vero fibræ debilitatem, aut laxitatem, rigiditatem, aut auctam ſolidorum elaſticitatem, indeque natas ſpontaneas humorum degenerationes, vim vitæ majorem, aut imminutam arguamus, indene diſſimiles orientur indicationes? Diverſane erunt, quæ ſe dabunt remedia? Anne ægrotanti veniet plus levaminis? dummodo enim veniat. Deſine jam D. Neo-Doctor Adverſarie, creatam hanc a DEO Medicinam verbis laceſſere? Deſine huic Veterum in obſervando & annotando ſolertiæ irridere: ſed admirare potius illorum in inveſtigandis, & profligandis morbis ſapientiam, & in communicandis

ani-

animi candorem. Hæc nos gratos agnoſcere, mirari illa, imitari utramque oportet.

Deciſio.

FAcunde non minus, atque erudite in utramque partem a Vobis diſputatum eſt Excellentiſſimi Domini Neo-Doctores! forſitan, quid Ego ſentiam, Vos ſcire cupitis? Rem ſine mora enuncio: Et ſolidam in veteribus doctrinam, & felicem quandam in rebus inveniendis induſtriam reperiri in Neotericis nemo eſt, qui ignoret: Apes igitur ſi imitati fuerimus, recte Vos facturos arbitror, quemadmodum ergo illæ ex variis florum, plantarumque ſpeciebus ſuccum optimum in mellaria cella deponendum exſugunt, ita Nos, ſi utiliſſima quæque ex veterum monumentis excerpta ingenioſis novatorum inventionibus miſcuerimus, omne punctum referemus, ut vult proverbium:

Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci.

ADHORTATIO AD GRATIARUM ACTIONES.

CUm *Gratitudo*, Cicerone teſte, *omnium virtutum mater ſit*, Illam in Vobis neutiquam deſiderari patiemini: grates igitur, quas poteſtis, maximas, Bonorum omnium Fonti, ac Largitori DEO, perſolvite: Tum vero omnibus, tam Cœlitibus, quam Iis, qui, licet vita defuncti ſint, ſingularia tamen Eorundem in Facultatem Noſtram promerita, in omnium animis etiamnum vivunt. Ampliſſimum demum hunc Conſeſſum, qui Veſtros potiſſimum præſentia ſua ornavit honores, debita obſervantia proſequamini: Ita Glorioſiſſima cœpta auſpicatiſſimo exitu coronabitis.

AD DEUM ET CŒLITES D. DOCTOR TROGENIUS.

NUmen æternum! cujus immenſa potentia totam hanc, qua patet, mundi machinam ſolo efficaci voluntatis nutu produxit; cujus inexhauſta ſapientia creaturis omnibus fines certos, & ſtabiles, ad quos agunt, aguntur ve, præſtituit; a quo ſolo profluit, quidquid doctrinæ, ſapientiæ, vel prudentiæ in humanis rebus locum ſibi vendicat: en! quot quot hic novo honoris gradu inſigniti adſumus, ad Divinum tuum ſolium humili animo provolvimur, & ſicut vitam, ſpiritum, omniaque vitæ commoda tibi ſoli nos debere, ſincere confitemur, ita etiam hodiernum Laureæ ſupremæ honorem in te, cui laus omnis & gloria ex rebus humanis ſolum competit, gratiſſimi refundimus. Faxis ô Numen immenſum! ut comparata rei Medicæ ſcientia, cujus hactenus pro viribus ſatagebamus, accepta ſit tuo benigno nutui, ſimulque Sereniſſimis noſtris Principibus, ſubjectoque populo in ſalutem cedat, & emolumentum. Diva Virgo DEIpara! clientum tuorum, quos materna tutela tectos, ſartosque conſervaſti hactenus, gratos & devotos tibi animos benigno oculo nunc intuere. Quis enim a DEO efficacius conatus noſtros ſuſtentavit, in portum ſapientiæ tot annorum labore quæſitum vota noſtra tandem deduxit, quam tu mater Divina, quæ *ſedes ſapientiæ* jure diceris? Si piæ preces quid valent, ſi ſincerum jusjurandum, quo nos tuæ immaculatæ conceptioni tuendæ nuper obſtrinximus, æquo animo *mater puriſſima!* ſuſcepiſti; perſevera, quæſumus omnes & ſinguli, Divinos Filii tui favores nobis deinceps impetrare, & cujusque noſtrum conatus, & vota pro materna tua clementia ſecunda. Vos demum beati Cœlites, quos eximia in DEUM pietas oris ſydereis intulit, mea compellat oratio. Scimus veſtra ope nos in moliminibus noſtris adjutos plurimum, dum ſinguli Patronis ſingularibus e veſtro numero uteremur, quibus confiſi nunquam fruſtrabamur eventu, quem rebus noſtris vel proponere vel etiam optare tantum potuimus. Itaque pro effuſo, quem contuliſtis, favore grates, ut par eſt, maximas animis noſtris ex æquo impreſſas a me nomine omnium accipite. Sigillatim in veſtram gloriam, Dive Coſm & Damiane! quidquid id eſt honoris, quod nobis hac die acceſſit, lubentes transferimus bene gnari, vos uti totius rei Medicæ, ita & no

ſtrûm

ſtrûm ſingulorum graviſſimos apud DEUM Patronos exiſtere. Ecquid enim non foveatis præcipue gentem illam, quæ veſtrum imitata exemplum calamitatibus & miſeriis proximi omni opera ſubvenire conatur? Quemadmodum itaque veſtris, Divi Tutelares! auſpiciis nos totos conſecramus, ita ſupplices obteſtamur, ut florem & decus noſtræ Facultatis non modo illibatum perſeverare, verum etiam novis indies acceſſionibus augeri faciatis.

AD AUGUSTISSIMAM DOMUM AUSTRIACAM D. DOCTOR LOCHER.

SOluta Divino cœtui gratitudinis Victima, eandem Tibi rependere mihi incumbit AUGUSTISSIMA DOMUS AUSTRIACA, Ordo, legesque jubent; Te DEUM in terris nobis fecit Omnipotens, quare Nos ante Aram tuam profundiſſima cum Reverentia pervolutos cerne, non Honoris gradus, non Doctoralia inſignia quæſituros, ſed de acceptis gratitudinem publicam teſtaturos: Veneramur autem Sereniſſima in hac Stirpe Auguſtiſſimam Imperatricem MARIAM THERESIAM Dominam & Reginam Noſtram Juſtitiæ & Clementiæ inſigniis præditam, Ejusdemque Auguſtiſſimum Conjugem FRANCISCUM I. Romanorum Imperatorem Inviciiſſimum pro DEO & Imperio Natum, Quorum gratiis Univerſitas Noſtra ſuperbit; Triumvirales denique Archiduces Sereniſſimos, Quorum fulgore ad gloriæ immortalitatem ſplendeſcit: Pro habita itaque inſigni in nos Clementia SACRATISSIMA, CÆSAREA REGIAQUE DOMUS AUSTRIACA ampliſſimas ex animo confitemur gratias; Quid autem a Medico gratus exigere videtur animus? Cum Tuæ Sanitati tuendæ imbecilles adhuc ſimus, de civibus & ſubditis tuis, in quorum ſalutem tanquam in propriam juras, bene merendi, omni arte, ſtudio, adlaborabimus ſemper probe memores. Tui eſſe muneris, quod Doctoratus Laurea Ornati gaudeamus: Protege Nos, Facultatem & Univerſitatem noſtram Antiquiſſimam ac Celeberrimam, Nos porro unanimi voce in hoc Encomium prolabimur:

Vale, vive diu Virtute Beata Tua.

AD AUGUSTISSIMOS PIOS FUNDATORUM MANES D. DOCTOR DIETMANN.

EXcelſæ Cæſarum Auſtriadum animæ! Auguſtiſſimi Fundatorum hujus Univerſitatis Cineres! quos ſors humana tumbis quidem mortalibus intulit, at immortalis rerum geſtarum gloria perpetuo omnium animis quaſi vivos & præſentes conſervat; quietem veſtram & altum, in quo degitis, ſilentium interturbari pauliſper ſinite. Procul terrore eſtote! non vos penetrabilis ſonus clangentium tubarum ad tribunal Divini judicis, ſed vox ſubmiſſa venerabundi Oratoris ad capeſſendam gloriam veſtra munificentia dignam excitat. Vobis hæc Medica Facultas, totaque Univerſitas ſuum ortum, incrementum, ſplendorem ut debet, ita æquitati conforme eſt, ut veſtram inſignem clementiam bonus quisque, qui huic ordini accenſetur, gratiſſimo animo revolvat. Nos itaque omnes & ſinguli ſupremo honoris gradu hodie inſigniti, id totum, quidquid ſumus, vobis terreſtria quondam Numina! ſacrum volumus, & quod præfixam laboribus metam tandem attingere licuit, Vobis pro maxima parte debere ultro confitemur. Atque dum ſingularem illam Clementiam, qua litteras, litteratosque hujus Urbis vivi perfudiſtis, grato animo nobiscum perpendimus, non vanam ſpem concipimus fore, ut Sereniſſima veſtra poſteritas, quæ ut ſanguinem, ita ſincerum virtutis amorem a vobis traxit penitus, avito incitata exemplo Facultatem Medicam, totamque Univerſitatem noſtram Auguſtiſſimis gratiis proſequi deinceps perſeveret.

AD

AD
MAGNIFICUM DOMINUM
RECTOREM
ET
UNIVERSITATIS PROCERES
D. DOCTOR CLEMENT.

TOt & tanta beneficiorum hucusque genera Nobis conferre dignati eſtis Magnifice D. Rector, Spectatiſſimi Almæ hujus Univerſitatis Proceres, ut ea in hodierno Ampliſſimorum Virorum Conſeſſu intra ſilentii limites contineri amplius non poſſint, verum univerſo pateant Orbi litterario, & ad ultimam uſque tranſeant poſteritatem. Siquidem diverſis antehac viciſſitudinum impetiti turbinibus optimum ſemper & germanum in Vobis reperimus fulcrum, quo ſuſtentaremur; in Vobis clypeum nacti ſumus, & munimen, feliciusque illo Romano (Numæ Pompilii tempeſtate de cœlo lapſo) Ancile, ſub quo Nos Romulea veluti propago tute quieſceremus. Atque idcirco ſingulari humanitatis Veſtræ beneficio ita ſuſtentati tandem illos, quos pridem ambivimus, Doctoratûs nempe Honores conſecuti ſumus. Et profecto quivis Noſtrum ſincere ſentiens profitetur, id nulli externæ potentiæ, ſed Veſtræ benevolentiæ adſcribendum fore, quod poſt labores, vigiliasque Noſtras, quas in multam ſæpe noctem duximus, ſpe Noſtra nequaquam deluſi ſimus. Ad felicitatem Noſtram vel maxime illud accedit, quod Nobis non modo eſt ornamento, ſed & famam Noſtram cum omni poſteritate adæquat; hoc fore exiſtimo, quod tantum a Vobis Magnifice D. Rector, Spectatiſſimique Proceres (quos probitatis fama, innatum religionis ſtudium, æquitatis commendatio, quinimo rerum omnium ſcientia huic Urbi Cæſareæ tam Spectabiles, totique Orbi verendos effecit) hodiernam præſenti in loco adepti ſimus dignitatem. Aſt beneficiorum, quæ verbis non exornare modo non poſſum, ſed nec animo complecti, magnitudo me ſilere jubet. Quamobrem jam officii mei ratio, & communis omnium Noſtrûm gratitudo id a Nobis depoſcere videtur, ut Tibi Magnifice D. Rector, & Vobis Proceres Colendiſſimi, pro tantis in Nos collatis beneficiis grates, quantum poſſumus, perſolvamus debitas; cum

vero tenuitatem voluntatis Noſtræ virium retundat debilitas, & nil aliud, ut cum Auſonio Oratore loquar, Noſtræ nunc opis ſit, niſi id unicum, dum videlicet unanimiter gratias agimus, verum ita ſentiendo copioſius, quam loquendo, nitentes in Senecæ ſententia, quod is referre non poſſit gratias. nî qui meminerit; & qui meminit, jam easdem referat. Ne tamen benevolentiæ, qua Nos hodie devinxiſtis, in Nos collatæ pœniteat, hanc tueri conabimur, ut Veſtram in defungendo munere prudentiam, diligentiam, & integritatem ubique æmulemur. Atque ita diem hodiernum in ſæcula recolemus, & pro tanto adepto laborum Noſtrorum munere dignitatis nunquam ingrati, laudisque Veſtræ ſemper adaugendæ ſtudioſiſſimi in æternum perſeverabimus.

AD
PROMOTOREM
D. DOCTOR STÖRCK.

OMnis vivendi ratio ſine honore ignobilis, obſcura eſt, & ingrata; atque ſolus honor (ſi Tullio fides) vitæ brevitatem poſteritatis memoria conſolatur. Perilluſtris, Spectabilis, Excellentiſſime Domine, Idemque Promotor Sapientiſſime. Tui ſumus, Tuo freti præſidio tot certaminum pericula ſubire auſi fuimus, atque ita, audentibus inexpugnabile nihil eſſe, didicimus; ut paucis rem omnem dicam: Te Authore in hoc honoris gradu ſumus collocati. Quodſi jam magno in pretio, per quos vitam agimus, parentes habeamus, plurimum profecto Tibi debebimus, per quem vita fruemur honorifica. Patere itaque, ut, ſi non parem meritis Tuis, at pro noſtro tamen ſtudio meritam gratiam, debitamque referamus.

AD
DD. HOSPITES
D. DOCTOR DE-MARE.

VObis demum Excellentiſſimi, Reverendiſſimi, Illuſtriſſimi, ac Ampliſſimi Spectatores, vobis, inquam pro gratioſa veſtra ad ſolemnem hunc actum cumulata præſentia immortales quas poſſumus, exſolvimus gratias. Nihil enim glorioſius, nihil majus excogitari poteſt, quam peractis laboribus mercedem ampliſſimam Laurum nempe capeſſere, qui hodie eo major, quo plures præſentia ſua haud unquam ſatis veneranda eum exornare dignantur. Summus proin æternusque rerum omnium Moderator DEUS vos ſanos incolumesque conſervet, in votis habemus, id præterea, ut ſaluberrimos conatuum noſtrorum fructus in vos redundare faciat foventes. Unum enim illud ſupereſt, quo exorare poſſumus, ut gratiis veſtris nos dignos reddatis & faveatis.

SEQUUNTUR

DISPUTATIONES.

MOR-

MORBUS EX PHŒNOMENO
SEU
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA DE VERTIGINE,

Quam ſub Divinis Auſpiciis

DECRETO, AUTHORITATE, & CONSENSU

Perilluſtrium, Magnificorum, Spectabilium, Prænobilium, Excellentiſſimorum, atque Clariſſimorum Virorum &c. Perilluſtris, Magnifici, Spectabilis, ac Excellentiſſimi Domini Univerſitatis RECTORIS; Perilluſtris, Spectabilis, ac Excellentiſſimi Inclytæ Facultatis Medicæ Domini DECANI: Venerabilis Domini Senioris, Sac. Cæſ. Regiæque Majeſtatis DD. Conſiliariorum, Archiatrorum, nec non DD. Profeſſorum, adeoque totius Ampliſſimi DD. Medicorum Collegii,

IN ANTIQUISSIMA, AC CELEBERRIMA

UNIVERSITATE VINDOBONENSI,

Pro conſequendis ſummis in Arte Medica Honoribus, & Privilegiis publicæ DD. Doctorum Diſquiſitioni ſubmittit.

FERDINANDUS JOSEPHUS SETTI,

Auſtriacus Viennenſis AA. LL. & Philoſophiæ Magiſter, Saluberrimæ Medicinæ Baccalaureus Formatus, & pro Suprema Laurea Candidatus.

Diſputabitur in publico DD. Medicorum Collegio, Die Menſis Auguſti horis poſt meridiem conſuetis Anno M. DCC. XLIX.

Typis Franciſci Andreæ Kirchberger, Univerſitatis Typographi.

PROŒMIUM.

HAud infimum certe morboſas inter, quæ cerebri compagem infeſtant, affectiones, ſibi locum vendicat vertigo, morbus quidem frequentiſſimus, omnisque vix non encephali ægritudinis aut prodromus, aut comes, tantis tamen in natura ejus, cauſisque, unde pullulat, tum & Phœnomenis, quibus ſtipatur, indagandis refertus eſt difficultatibus, ut minori labore monſtroſa intrepidæ hydræ capita cum Hercule in Lerneæ paludis voragine ſuffocare, quam cauſarum numerum, ex quibus ceu fonte ſuam agnoſcit originem, exhaurire auderem. Vertiginem quidem qui vocaverit eam corporis conditionem, in qua actiones corpori noſtro convenientes à communi lege deflectunt, à veritate minus aberravit: Verum hanc conditionem ſine ulla unquam præcedenti functionum læſione in corpore ita naſci, ut non alteri ſuam debeat præſentiam, altiori, accuratiorique indagine perſcrutanti ex facili erit dijudicare: itaque cum hæc ſit morbus ex

phœnomeno, ſeu majori jure alterius morbi productum, ordine inquirendum, quas potiſſimum morboſas afflictiones ſequatur. Verum quia tot ſunt morborum ſegetes, quibus tum ratione tum experientia Practicorum plurimi Lerneam hanc noſtram Hydram obſervaverunt natam, eo annitemur, ut plurimos ſaltem pro tenuibus noſtris viribus fontes attingamus: quoniam autem materiæ hujus decriptio in vaſtam forſan ſit excretura molem, quæ benevolo Lectori negotium, tædiumque faceſſeret, eam non vano ingenii partui, ſed materiæ amplitudini adſcribere dignetur: ſi tamen non ſuorum, quod exſpectaverit, votorum compos factus fuerit, animi promptitudinem & propriam virium imbecillitatem reprehendet: Quare ne ultra L. B. inanibus verborum ambagibus detineam, a cognitu facillimis ordiendo ad difficiliora progrediemur.

§. I.

ACturis de vertigine id nobis incumbit officii, ut, quid hocce vocabulo intellectum velimus, paucis exponamus perſpicue: *Eſt* autem vertigo *rerum viſarum, vel ſui ipſius apparens circumgyratio cum metu lapſûs, aut lapſu ipſo, viſûsque hebetudine*: Latini huic morbo a vertendo ſuum impoſuerunt nomen, a ſymptomate ſcilicet omni in vertigine obſervato, quo prehenſi turbine quaſi continuo omnia circumagi objecta conſpiciunt; cujus tamen ob diverſitatem tum ratione cauſarum, tum vehementiæ ſymptomatum alia eſt leviſſima, ſola apparente corporis, ambientiumque rotatione affligens, Græcis Δῖνος dicta, gravior alia, tum tenebricoſa ſimul viſûs obſcuritate, crurumque vacillatione ægri affliguntur σκοτόδινος audiens, quibus ſi impotentia muſculos in æquali ſua contractione retinendi accedat, corporisque inde lapſus ſequatur, graviſſima omnium ſeu *vertigo caduca* oritur, non incommode ad leviorem apoplexiæ gradum referenda: perfrequenter vero & *ſymptomaticæ* & *idiopathicæ* meminêre Practici, quarum illa cauſæ alterius morbi, hæc propriæ in capite ſtabulanti ſuam debent originem: ſed & alia eſt, quam proles ſuis parentibus in acceptis habent, quod referant, deplorandoque ſquaſi patri-aut matrimonii titulo hæreditariam hanc labem circumferunt: Verum non infimum inter vertigines locum meretur illa, quæ per periodos recurrit, hinc *periodica* audit, quod non exiguam encephali ægritudinem denotet: minori tamen hæc conſideratione digna, quæ *accidentalis* dicta, leviori quadam cauſa procatarcticâ inducta, non tanta pertinacia corpora infeſtat.

§. II. Apparens rotatio ſui ipſius, aut objecti viſi eſt idea in mente excitata, ſimilis illi, quæ fit, dum corpora vel objecta reipſa in gyrum aguntur: dicuntur vero corpora, aut objecta viſa circumagi per mutationem loci, in quem incidunt ſpecies intra oculum perductæ; Unaquæque enim ſpecies viſibilis determinatum ſpatium in determinato oculi puncto occupat, ita, ut ipſius termini incidentiæ ſint plus, minus dextri, aut ſiniſtri, ſuperi aut inferi; quouſque porro termini incidentiæ eandem in oculi partibus ſervant diſtantiam a dextris, ſiniſtris, ſuperis, aut inferis, objectum viſum ſeu radii luminares a quolibet objecti puncto repercuſſi intra datum oculi ſpatium locum non mutabunt, & cum ſimul radii ab objecto non moto ſupponantur eandem determinationem, ſeu reflexionem in diverſas ab aſſumptis oculi partibus diſtantias pati, perinde repræſentare ſimul objecti locum, perſiſtat, oportet, objecti ſpecies quieſcentis, unde mens etiam aſſentire

neceſſitabitur, objectum revera quieſcere, quousque nulli terminorum in alia oculi puncta deriventur; moveri vero videbitur, ſi termini incidentiæ data oculi ſpatia mutaverint, & radii viſivi ad inferiora, aut ſuperiora, dextra aut ſiniſtra oculi puncta convergant: ad hoc vero, ut objectum ſentiatur moveri per lineam rectam, ſpecierum termini tum & ipſæ earum ſint conditionum, quæ requiruntur ad ſentiendum, objectum ferri per lineam rectam, hinc erunt, terminos incidentiæ diſtantiam mutare inter oculum & objectum per lineam rectam: moveri autem circulariter requirit terminos ſpecierum ab extremis oculi terminis duci per decreſcentes ſeries contactuum ad extrema uſque oculi oppoſita; quoniam ergo ex eo ſolum judicamus objectum aliquod moveri, quod vel diſtantia oculum inter & objectum mutetur, vel contactuum termini per decreſcentes ſeries ab extremis oculi ad oppoſita ferantur; quacunque itaque ratione hæc mutatio contingit, menti repræſentari neceſſe eſt, objectum moveri; mutari autem poteſt, vel quia objectum re ipſa movetur, vel quia objecto immoto corpus integrum movetur, vel dum utroque immoto ſolus oculus in motum agitur: ex eo vero, quod corpora ambientia vel noſtrum corpus rotari ad actionem tantum mechanicam referri, adeoque non eſſe morbum quisque intelligat, ſolum de mutatione oculi ut cauſa vertiginis morboſæ hic tractabimus.

§. III. Vertiginem definivimus *apparentem rerum viſarum vel corporis noſtri circumgyrationem*: hæc ſignificat ſpecies repræſentari aliter, quam in ſe ſunt, atque oriri vertiginem dum objectum quieſcens ſolo organo viſûs mutato circumagi apparet: cum igitur vertigo vera ſeu morboſa ſit idea falſa in mente excitata per mutationem organi viſûs, quærenda erit hæc mutatio, pendeatne a mente, an viciſſim erronea mentis imaginatio ab organo mutato fluat. Mentem agere in corpus ex effectibus obſervamus; corpus enim varias exercet actiones, quæ licet non pertineant ad mentem, a mente tamen turbari poſſunt, ſed & alias quoque, quæ menti maxima ex parte competunt; harum prima eſt motus animalis in ſanis hominibus, qui exercetur, minuitur, ſubſiſtit ex voluntate, voluntas autem menti propria eſt, ergo mens hujus motus cauſa fit, non tamen ita ſubjacet imperio mentis, ut mens hunc vel illum muſculum cum præmeditatione moveat, vel quieſcere faciat, ſed attendit modo ad hanc, modo ad illam partem, imo aſſueſcimus huic motui a nativitate, exemplo ſunt infantes & dormientes: Verum mens in ſenſus ſuam quoque exercet actionem; ita ſi attenta mente volumus auſcultare, accuratius audire poſſumus, videmus id

in

in his, qui difficilius audiunt: appetimus porro vi organi & actione naturali, hunc tamen appetitum mens ita mutare poteſt, ut ad diverſa feratur, ergo & menti in actiones naturales potentia ineſt: imperium vero menti ut cauſæ in motum vitalem, puta cordis cerebelli &c. conceſſum eſſe, nemo facile crediderit; hic motus continuus eſt, adeoque ordinario non pendet a mente, ſed vehementioribus ejusdem perturbationibus, & animi pathematibus mire hæ actiones mutantur. Expoſita jam actione mentis in corpus nunc intelligamus, oportet viciſſim actionem corporis in mentem: noſcimus in corpore noſtro actiones aliquas corporeas, quæ menti communicantur, iſtud autem, quod a corpore menti communicatur, vocatur ſenſus; hi ſenſus a veteribus diviſi ſunt in externos & internos, per illos ſolos in ſanitate vigilantis mens percipit, quid agatur in corpore; illi ſenſus fiunt per diſtincta organa, diſtinguimus hæc, quod in unico definito loco ille ſenſus exerceatur, nemo enim auribus videt, aut oculis audit, aut ſapores coloresve tactu diſcernit: porro ſi quispiam eſuriat, aliquid aliud percipit, quam ſi audiat, vel videat; hæc omnia menti quaſi per nuntios repræſentantur, ut intelligat, quid extra nos agatur: ſed ubi contingit illa mutatio? In partibus remotis, nam his res externæ applicantur: mens ſentit, ergo mens quoque ſtatim eſſe præſens deberet; hinc hæc vel eſſet diffuſa per totum corpus, vel collocata in quodam loco, ad quem transfertur mutatio in organo ſenſorio facta per fabricam intermediam: ligato nervo cujusdam organi perit illico ſenſus, mens vero ligari nequit, ergo in hoc corpore intermedio latebit cauſa, vi cujus mens percipit mutationem illam in organo: ſed hoc contingit in omni parte, & in omni puncto corporis, ergo & in cunctis erunt talia corpora intermedia: mens ſentit in omni parte, & in omni puncto corporis, ſentitque per nervos intermedios, diffuſa autem eſſe non poteſt per corpus, ut ex experimento docemur; percipiet itaque in aliquo certo loco, quo omnes nervi concurrant, neceſſe eſt, vocabimus illum ſenſorium commune: defertur ergo omnis mutatio in organo facta per nervos ad ſenſorium commune, mentique repræſentatur idea objecti mutantis organon; videmus hæc in vigilante ſano: experimur vero etiam non raro in morboſa corporis labe ſenſum frigidi, calidi, humidi, ſicci, ſapidi, odori, auditi, viſi, moti, quieſcentis; hinc mens percipiens hos motus illico attendit, & dirigit omnes ſenſus, ut intelligat, an revera a cauſa externa mutante organon oriantur; ſin minus, videt, an hi corpori ſano competant, vel an hæc in ſtatu naturali alias contingere obſervaverit, ſibique aut corpori

pori grata eſſe, aut ingrata agnoverit; quod ſi hæc minus detexerit, noſcit aliquid eſſe in corpore ſuo, quod organon ſic mutavit, ut hæc mutatio ſimilis ſit mutationi in ſtatu ſano obſervatæ; cum vero neque ſemper, ſubinde nunquam, neque menti aut corpori gratum noverit, cogitat illud mutans eſſe aliquid, quod naturaliter in corpore non extitit; hinc nititur ratiocinio emendare hanc perceptionem: obtinetur id in omni ſenſu externo; in omni itaque ſenſu externo mens patietur; ad ſenſus autem externos refertur viſus, perinde & in viſu mens patitur; in vertigine ea, quæ intuemur, nobis apparent circumagi, hinc, quia novimus, quod corpora quædam nos ambientia non moveantur, mens judicat, aliquid exiſtere in ipſo organo viſûs, vel circa illud, quod hoc ita mutat, ut hæc mutatio ad ſenſorium commune delata menti inducat ideam erroneam rerum circumgyratarum, adeoque & in vertigine mens non agit, ſed patitur, cum ſæpe mens conetur compeſcere vertiginem, & non valeat.

§. IV. Certo jam nobis conſtat, mentem non agere in Vertigine, ſed pati, hæc tamen mens percipit veram rotationem objectorum in organo viſus; quare hi motus gyrationis pendebunt vel ab oculo ipſo, vel ejus nervo: ad hoc ut objecta videantur moveri, binas ſupponimus conditiones (ex § 3tio) prima eſt mutatio in organo, ſecunda vero perceptio hujus per nervorum propagines: mutationem in organo ſeu perfectionem viſus ſcimus pendere ab ea figura, pelluciditate, fabrica, virtute ſolidorum, & ab ea denſitate, atque pelluciditate humorum excolorum quibus ab unoquoque puncto objecti viſibilis plurimi radii ad diverſa retinæ puncta perducuntur, unde in fundo hoc pinguntur tot puncta, ac fuerunt conſpicua in imagine (ut ex opticis patet) hinc ſimilis objecto in retina fingatur, oportet, imaguncula: omnes igitur cauſæ, quæ valent in oculi fundo facere, ut radiorum termini in diverſis retinæ punctis ex ordine incidant, efficere poterunt, quo minus radii ab objecto intra oculum reflexi eadem retinæ ſpatia tangant, perinde locum in oculo mutantes imaginis in retina depictæ circumgyrationem producent: Movetur oculus ſuis muſculis ſurſum, deorſum, lateraliter, recto ſuperiori, inferiori, adductore, abductore, oriundis circa foraminis nervi optici in fundo orbitæ ambitum, quibus accedunt obliquus inferior, omnibus in ſcleroticam non procul a cornea inſertis; ſed poteſt oculus mediantibus his alterne motis ſic moveri, ut in gyrum agi videatur: quando ergo muſculi illi ab aliquo morbo convulſivo ſic afficiuntur, ut præter voluntatem noſtram jam unus jam alter conſtringatur, & dimittatur, neceſſe eſt, ut radii ſeu

ter-

termini incidentiæ ab objecto prius exiſtentes in loco retinæ *A* ſint nunc in loco *B* & *C*, perinde imaguncula in fundo oculi depicta locum mutare, & in gyrum agi videbitur: id autem ſenſibus patet, quorum enim oculos in gyrum moveri conſpicimus, atque Vertiginem tunc ſimul oriri, interrogati reſpondent, ſcimus illico id per muſculos convulſione alterna prehenſos effici, cauſamque vertiginis latere in his muſculis convulſione tentatis: quodſi claudamus oculos, radii nulli ab objecto derivabuntur in oculos, adeoque nulla fiet depictio imaginis in retina, nullam ergo mens percipiet ideam rei circumgyratæ, pergente licet motu oculi, ægerque corripietur ſola Vertigine producta a convulſione muſculorum non connexa cum metu lapſus.

§. V. Radii a centro radiante in corpus opacum incidentes reflectuntur in eum angulum, cum quo inciderunt; punctum illud corporis, in quo radii incidunt, & a quo revertuntur, vocatur punctum reflexionis, ab hoc puncto radii reflexi divergentes in äere incurrunt in corneam pellucidam, convergunt ad ſe invicem pro diverſitate denſitatis corneæ ad denſitatem äeris (reliquis linea recta ab objecto reflexis eadem linea per corneam ad fundum usque oculi tendentibus) refringuntur in illa, ut in aqua, pergunt per humorem aqueum denſitate & pelluciditate cum cornea convenientem, refractionemque non mutantem, determinantur, ut tranſeant per foramen pupillæ minus, quam corneæ, cujus ope major contingit refractio plurium radiorum divergentium, pauciſſimis alias, iisque non niſi parallellis ad retinam pervenientibus, convergentes magis feruntur in lentis cryſtallinæ ſuperficiem, novamque hic patiuntur refractionem, non tamen multo majorem; dum interim illi, qui tanta obliquitate per corneam illabuntur, ut in iridem cadant, reflectuntur denuo ex oculo, turbaturi legitimam imaginem, aliis porro in marginem lentis aterrimo pigmento obductum eadem fere obliquitate incidentibus in atro hoc receptaculo abſorptis; munivit natura eam partem uveæ aterrimo hoc pigmento, ut radii obliqui omnes abſorbeantur, nullique alii per humorem vitreum in retinam reflectantur, niſi qui per lentem tranſierunt, ejusque refractionem paſſi ſunt: Vitreum autem corpus ponitur in parte poſteriori oculi, anterius lentem habet, ad latera ductus ciliares, adeoque radios per lentem tranſeuntes excipit, colligit, & pro diverſa contractione fibrarum ciliarium ſolidius factum in focum diverſum dirigit, inde ad retinam transmittendos. Ergo radii ab objecto ea, qua inciderunt, linea reflexi, in corneam acti feruntur per medium pellucidum; Verum motu humoris pellucidi imagines

gines non moventur (ut experimenta cameræ obſcuræ docent) hinc in ea linea, in qua a puncto radiante aut reflectente provenerunt, in infinitum pergerent, adeoque in retina eadem, ac in objecto erant, puncta depingerent; ab objecto autem non moto (ut ex §. 2do ſupponimus) radii feruntur, tranſeuntque per humorem aqueum, qui eſt liquor perfecte pellucidus, medium autem pellucidum radios in directione ſua non mutat, ergo neque humor aqueus, licet eum circumagi ſupponamus, radiique ab objecto non moto reflexi hujus gyratione non derivabuntur in diverſa retinæ puncta per mutationem loci, in quem antea inciderunt, hinc nulla fiet in retina depictio imaginis circumgyratæ, perinde nulla orietur vertigo ex circumacto humore aqueo: Verum quia humor aqueus continetur in camera oculi anteriori & poſteriori, gyrari nequit, niſi circumacto oculi bulbo, quodſi autem tunc oriatur vertigo, illa pendebit a motu oculi per ſuos muſculos alterne circumducta ad §. 4tum referenda. Quoniam autem pupilla fibris ſuis orbicularibus nunc arctata magis, nunc dilatata per rectas advenientes radios transmittat in ratione duplicata diſtantiarum, generabit ſolum viſum pendentem a numero radiorum, qualis eſt viſus vividior, debilior, non tamen cauſa erit, ut radii per foramen pupillæ tranſeuntes in diverſa retinæ puncta incurrant, hinc locum mutare videantur: lens vero cryſtallina transmiſſos pupilla radios colligit, convergentes facit: hoc eſt corpus ſolidum perfecte pellucidum foveæ vitrei ope tunicæ tenuiſſimæ incluſum, a ligamento ciliari inter aqueum & vitreum mox poſt pupillam ſuſpenſum, ex multis lamellis pellucidis, atque ſimilibus vaſculis liquidum pellucidum vehentibus conſtructum: per corpus hoc utrinque convexum trahuntur radii, adtractionum autem vires ſunt, uti denſitates corporum adtrahentium, adeoque lens denſior radios valentius adtrahit, eosque citius convergere facit; quando vero lens laxior ſolito eſt, illos minus trahit, hinc minus illos convergere efficit: ad eam adeo exquiſitam actionem requiritur mira proportio denſitatis humoris aquei, & lentis, & quoniam videre debemus ad varias diſtantias, neceſſe eſt, cum non omnes radii iisdem viribus reflectuntur ab objecto, atque in focum colliguntur, ut lens cryſtallina jam magis jam minus ducatur ad corneam vel retinam: ergo lens radios ab uno puncto extra oculum ortos hic iterum in unum punctum collectos transmittit ea lege, ut in retina ſolum præciſe id punctum pingant, unde radii illi manabant: hæc omnia pendent a motu & denſitate diverſa lentis: lens ſuſpenſa hæret inter humorem aqueum & vitreum per ligamentum ciliare; oritur hoc ex

in-

interiori ſuperficie ſcleroticæ undequaque circulari origine, ut radii a circumferentia circuli centrum verſus tendentes, deſinunt in fibras orbiculares ad marginem lentis; harum vero fibrarum circularium actione vario modo poteſt in ſitu ſuo lens mutari, ergo & harum alterna actione in circulum agi; perinde cum lens radios illos ab uno objecti puncto reflexos colligat, & ea denuo lege dimittat, ut ſolum id punctum in retina pingant, poterit nunc dimota & circumacta efficere, ut radii non amplius in idem retinæ punctum incidant, ſed locum mutent, & in gyrum duci videantur; oriri ergo poterit vertigo, ſeu apparens rerum viſarum circumgyratio pendens a circulari dimotione lentis cryſtallinæ, minime tamen metum lapſus aut lapſum ipſum inducens. Supponamus vero in cornea, humore aqueo & pupilla tum & lente adeſſe omnes conditiones, quæ requiruntur in homine ſano ad legitime videndum, radii a quolibet puncto in corneam reflexi per humorem aqueum & pupillam in lentem acti, hujus convexitate collecti, & convergentes redditi, tranſeunt per humorem vitreum, indeque in retina pro diverſitate foci varias fingunt imagines, ſeu diverſa depingunt in retina puncta, prout a diverſis objecti punctis reflexi fuerint: ad hoc autem ut objecta circumgyrari appareant, requiritur per §. 2dum, ut radii ab objecto reflexi in fundo oculi locum mutent, ſeu, ut eorum termini & puncta contactuum per decreſcentes ſeries ab extremis oculi ad oppoſita ferantur; ſed ferri non poſſunt, niſi focus radiorum locum in retina mutaverit, radiorum vero in certum focum directio pendet ab humore vitreo, ergo humor vitreus mutatus focum radiorum mutabit, ſeu focus radiorum non amplius erit in iisdem retinæ punctis: ponamus nunc humorem vitreum circumagi, focus radiorum in retinæ punctis reſpondebit determinationi ſeu directioni radiorum ab humore vitreo in focum, directio autem radiorum eſt in gyrum, ergo focus radiorum locum mutabit in retina, ſeu non amplius erit in iisdem retinæ punctis, ſed per decreſcentes ſeries incidentiæ ab uno oculi extremo ad oppoſitum ducetur, adeoque apparebit objectum circumagi per gyrationem humoris vitrei: Verum vitreus humor in parte poſteriori bulbi ejusdem $\frac{2}{3}$ vel $\frac{3}{4}$ partes implens invenitur, in parte poſtica ſphæricam obtinens figuram, qua æqualiter & blande ſuſtentat retinam, coercetur in cellulis ex pellucidiſſima membrana factis, quam arachnoideam ob tenuitatem vocant; hæc vero membranula nondum libere in oculi fundo hæret, ſed annectitur ligamento ciliari, ex quo multa vaſa in vitreum humorem abeunt, ut ejusdem cum vaſis oculi ſit commucatio; præterea arteriolæ parvæ cum nervo optico ingreſſæ

bulbum ſupra retinam expanſæ maxima ex parte in membranam humoris vitrei evaneſcunt: ex hac itaque ſtructura patet, humorem vitreum tunica ſua arachnoidea arcte coercitum in gyrum duci non poſſe: quoniam vero partem poſteriorem oculi replet, ſimulque oculi bulbo per tunicam ſuam tenuiſſimam nectitur, circumagi poterit motu inordinato muſculorum bulbi, atque orietur vertigo (§. 4.) circumactione totius bulbi, minime excitata a mutatione humoris vitrei.

§. VI. Toto hoc apparatu (a §. 4to ad 5tum) id efficitur, ut in fundo oculi recta poſt pupillam fiat diſtincta & vivida collectio eorum radiorum, qui a quolibet objecti puncto reflexi illabuntur in corneam, atque humores tranſeundo in focum collecti tot puncta in retina depingunt, quot fuerunt in imagine conſpicua, ſeu radiorum termini totidem ſpatiola minima in retina occupant, quot fuerunt anguli reflexionis in objecto, verum radii ab objecto ad eum, in quem inciderunt angulum reflexi, per corneam & humores ad retinam uſque progreſſi, iisdemque conditionibus ad legitimam viſionem requiſitis in focum certum collecti angulum incidentiæ in retina mutare poterunt, ſeu factu poſſibile eſt, ut termini radiorum nullas alias mutationes paſſi non amplius ſint in iisdem retinæ punctis, locum tunc mutare videbitur imago: ſed mutata radiorum determinatio non pendet ab objecto moto, quod ſupponimus quieſcens, neque a corpore in gyrum acto, neque conditione aliqua in oculi membranis, aut humoribus deſiderata, ergo nulla eſt mutata radiorum determinatio; quoniam autem contingere videmus, ut omnibus his requiſitis objecta tamen moveri appareant, quærenda erit hæc mutatio in radiorum terminis; verum radiorum termini ſunt ſpatiola minima retinæ, ſeu anguli incidentiæ, ad quos radii in retinæ punctis concurrunt: radii autem non mutantur, ergo mutati ſunt radiorum termini, ſeu anguli incidentiæ; Verum ad hoc ut anguli incidentiæ mutari poſſint, neceſſe eſt, radiis immotis retinæ ſpatiola minima mutari: quoniam radios hucusque in determinatione ſua nullas mutationes paſſos intelligimus, mutata retina ſpatiola illa minima dimoveri oportet: ſed per hoc concipimus tantum imaginis depictionem dimoveri in retina, neque inde clarior eſt idea vertiginis ex dimotione retinæ oriundæ. In fundo oculi locata invenitur membrana pulpoſa, in fundo craſſiſſima ſenſim ad originem ligamenti ciliaris accedens extenuata magis, duplici conſtans lamella, interiori albicante, tenui, fibroſa, pellucida, & vaſculoſa, ex intrantibus cum nervo optico vaſis formata, exteriori altera pulpoſa, molli, ex minimis fibris diſtinctis & in origine, & in organo, ipſius-

ipſiusque nervi optici dura & pia matre muniti, foveam oſſeam ad latus naſi ingreſſi, oculique bulbum circa tertiam partis diſtantiæ a parte poſteriori, & $\frac{2}{3}$ partes a cornea, dimiſſis tunicis duræ piæque matris in ſcleroticam & choroidem terminatis reliqua ſua pulpa ſubeunte, atque blanda æquabilique humoris vitrei ſuſtentatione expanſa conſervata; tota hæc mollis & pulpoſa membrana undique in fundo oculi explicata primarium eſt viſus organon; in omni enim fibra retinæ, ſeu in omni diſtincta minima fibra hujus pulpoſæ fabricæ ſenſus fit, ſeu refluunt ſpiritus ad contactum radiorum in quocunque retinæ puncto, & quousque radii ſemper eadem retinæ puncta tangunt, ſpiritus per easdem fibras refluent, ſeu erit idem ſemper ſpirituum per easdem fibrillas nervi optici ad ſenſorium commune (§. 3.) refluxus, mentique repræſentabitur objectum, unde radii emanant, quieſcens: quoniam autem dum moveri, quæ cernimus, exiſtimamus, cum radii ab objecto reflexi non amplius eadem retinæ puncta contingunt, objectum tunc circumagi videbitur, cum ſucceſſivo contactuum ordine nervi trement, ſeu cum per tremorem fibrillarum nervearum ad ſucceſſivum contactum poſitarum ſpiritus ex ordine tremorum refluent: quomodocunque igitur fieri contingit, ut fibrillæ nerveæ ex ordine dimoveantur, radiorum contactus fient ex ordine dimotionum; adeoque licet radii ab objecto quieſcente reflexi ſub omnibus conditionibus in ſtatu naturali requiſitis, iisdem ſemper determinationibus in retinam incurrant, locum tamen mutabunt, ſeu non amplius eadem retinæ puncta tangent, quod fibrillæ nerveæ ex ordine dimoveantur: refluent itaque ſpiritus per ſucceſſivos ex ordine refluxus ab alternis & ſucceſſivis tremoribus nervorum factos, non mutata determinatione radiorum, ſed ſucceſſiva retinæ dimotione excitatos; hinc erit apparens rerum viſarum circumgyratio a ſolo retinæ motu. Moveri autem per ſucceſſivos ordines poſſe, nos docet vaſorum numerus in fundo oculi; quoties enim ea alterne oſcillant magis, ut in impetu majore ſanguinis per vaſa, toties pulpa nervi optici ad latera horum vaſorum hærens tremat, oportet: verum nulli amplius radii ab objecto clauſis palpebris deriventur in oculum, nulli inde fient contactus radiorum in retinæ punctis, nullique excitabuntur a radiorum contactibus ſpirituum per nervos refluxus: quoniam autem etiam clauſis oculis circumagi quæcunque nos ambientia ſentimus in quadam vertiginis ſpecie, ejus cauſam vel in dimotione retinæ, vel nervi optici conſiſtere manifeſtum eſt: mutationes etenim fieri in organo poſſe ſimiles illis, quæ a radiorum contactibus peraguntur, ex fabrica retinæ de-

monſtratur: ponamus enim, a plethora topica, ut in cauſis inferius recenſebimus, vaſa cruenta, quibus tunica retina ornatur, diſtendi validius, tremor eorum erit in ratione diſtenſionis, ſeu oſcillabunt potentius, & commovebunt pulpoſa retinæ filamenta in ordine oſcillationum, refluentque ſpiritus cum refluxibus ſimilibus iis, qui a radiis irruentibus in retinæ puncta excitantur. Intelligimus (ex §. 3.) mentem percipere mutationem in organo quocunque factam per nervos intermedios, adeoque in mente excitari ideam per organa hæc intermedia; inde admiranda Authoris naturæ providentia corpori noſtro de ſimili fabrica proſpexit, qua mediante ad ſenſorium commune deveheretur mutatio in organo ſenſorio viſus facta. Sectione anatomica ablato cerebro ad plexum usque choroideum, qui eſt congeries plurimorum vaſorum tam arterioſorum quam venoſorum, reconditæ latent duæ magnæ medullares cerebri protuberantiæ thalami nervorum opticorum dictæ, ex his molli principio diſtinctis locis ſub corporibus ſtriatis provenit nervus opticus ex utroque latere unus (anatom. Guliel. Cowper. append. fig. 28. & 30.) ad ſe invicem magis accedentes plerumque coaleſcunt ad infundibulum, poſt hæc a ſe mutuo recedentes cito pertranſeunt ſecunda foramina Ollæ Cranii, ubi iis contigui ſimul tranſeunt magni arteriarum carotidum rami, inveſtiuntur exorti tenui membrana a pia matre proveniente, vaſis cruentis referta, ſecedentes vero hi iterum foramina rotunda foveæ oſſeæ orbitæ ingreſſuri cinguntur valido involucro, vaſis quoque ſanguiferis ſtipato, & a dura matre orto: uterque jam pulpoſus multis intermediis tenuiſſimis vaſis hoc apparatu adiens bulbum non ad fundum, ſed aliquomodo ad latus verſus naſum bulbum ſubintrat, dimiſſisque membranis in pulpoſam medullarem membranam explicatur humore vitreo ſuſtinendam: hujus fabricæ jam interpoſitæ ope mens percipit mutationes in organo ſenſorio viſus, ſeu per pulpoſa mollia nervi hujus filamenta refluunt ſpiritus per tremores excitatos in retina a radiis in eandem reflexis; verum medullaria hæc nervi filamenta, vel in origine vel progreſſu a variis cauſis agi poterunt in tremores eosdem, refluxus ſpirituum erunt iidem cum refluxibus a tremoribus in retina excitatis: cauſas autem aliquas ſic agere poſſe in fibras has medullares, ut in ſimiles tremores veniant, vaſa, quæ membranas nervos inveſtientes, ipſamque pulpoſam ſubſtantiam perreptant, nobis argumento ſunt.

§. VII. Perſpectis jam, in quas vel maxime partes vertigo ſuam exerceat tyrannidem, videamus, oportet in vertigine, qualis ſit, fuerit,

rit, erit gradus, ordo, effectus: vertiginem adeſſe relatu ægri noſcimus, quibus enim omnia circumambientia rotari percipimus, eos vertigine correptos conjicimus; qualis vero ſit, ex antecedentibus & conjunctis dignoſcitur. Quæro ex ægro, antequam morbus exortus fuerit, quid prægreſſum? Reſpondere poterit, rotationem vel ſui, vel objectorum, aut profundorum inſpectionem; quoniam vero ex præmiſſis mihi conſtat, vertiginem ceſſare nullis amplius radiis intra oculum derivatis, impero, ut claudat oculos, ut quieſcat; inde quæro, ſi ultra in vertiginem ſibi agi videatur? Reſpondente, omnia quieſcere, novi nullam neque in retina, neque nervo optico mutationem factam, quæ vertiginem excitet, ſed unice pendere a derivatione radiorum intra oculum, adeoque vertiginem eſſe *accidentalem*, *tranſitoriam*, *levem*, a ſola cauſa externa ortam: quodſi vero æger ad quæſita reſponderit, omnia quieviſſe, quæro, an objecta cum viſus obnubilatione circumagi viſa fuerint, & an quieſcens clauſis oculis corporis ſui rotationem crurumque vacillationem perceperit? In annuente concipio illico inordinatos fieri ſpirituum per fibras nerveas refluxus, eumque inde laborare *vertigine tenebricoſa*: ſin vero ægrum apparente tali objectorum cum ſui ipſius circumgyratione lapſum ſubito in terram interrogati reſpondeant, graviſſimo intelligo, affligi morbo, ſeu *vertigine caduca*. Ex his nunc novi gradum vertiginis, ſed & indagemus, an cauſa excitans vertiginem hæreat in encephalo, vel viſcere quodam, vel an ab alio morbo ortum trahat: rogo, moleſtumne quid ſenſerit circa alias partes? An habeat præter capitis, cujusdam partis dolorem, debilitatem, nauſeam, vomitum? An alio quodam morbo antea afflictus fuerit? nullum horum novit æger, certus jam ſum, cauſam hærere in capite; morbumque eſſe *idiopathicum*. Quodſi inquirenti mihi reponat, ſe dolore ventriculi, cardialgia, nauſea, vomitu aut ingenti ad eum ſtimulo ſimul corripi, inquiro, an hæc cum vertigine ante exiſtente conjuncta fuerint, vel hanc præceſſerint? Si primum, intelligo, illa eſſe vertiginis effecta, ſi alterum, vertiginem ab his pendere, hinc vertiginem eſſe *ſymptomaticam*: ulterius inveſtigare oportet, an per intervalla, eaque certa vel incerta redierit, ſi illud, ſcio, eſſe *periodicam*, adeoque diſpoſitionem latere in corpore, ſi nullam aliam prægreſſam agnoverit, *accidentalis* declaratur. Nunc etiam qualis ſit vertigo, mihi conſtat; Verum ſigna cauſarum ex iis, quæ præceſſerunt, aut quæ paroxiſmum antecedunt, petuntur; hæc commode aëris indoli, ingeſtis pravis, aliisque ſex rerum non naturalium abuſibus adſcribuntur, & inferius ex particulari quaque cauſarum pertractanda, eruenda.

§. VIII.

§. VIII. Vertigo eſt phœnomenon in corpore productum, ab ægro perceptum; phœnomenon vero non eſt aliqua cauſa poſitiva, ſed effectus pendens a ſua cauſa, hanc cauſam noſſe oportet medicum, cauſa hæc inſeparabilis eſſe debet ab ipſo morbo; ſola enim hac poſita morbus preſſo pede ſequitur, Medici illam vocant *immediatam*, ſeu *formalem*, inveſtiganda ergo ſimilis cauſa, cui unice obſervata in vertigine phœnomena adſcribi poſſint, hanc reponimus in inordinato ſpirituum per ſibrillas nervi optici ad ſenſorium commune refluxu ab alternatim facta fibrarum vel nervi optici vel retinæ dimotione excitato: Verum inordinatus eorum refluxus productum quoque eſt ab aliqua cauſa; hic enim fieri nequit, niſi aliquid fibris nerveis inhæreat, quod alternatim fibras has moveat, hinc inordinatum hunc ſpirituum refluxum proritet: illud autem fibras nerveas alterne dimovens vel debet hærere in ipſis fibrillis nerveis, vel tunicis has ambientibus, vel aliquo toti concreto nerveo contiguo (ex §. 4to, 5to, 6to) quoniam vero illud prædictis partibus inhærens non immediate ponat vertiginem, ſed alternum fibrillarum tremorem, indeque ortum inordinatum ſpirituum refluxum excitet, illam cauſam vocamus *mediatam ſeu materialem*: ſed ex illo aliquo nondum novi, cujus indolis ſit illud præfatis partibus inhærens, peropportune ergo hoc in ſequentes claſſes diſtinguimus: primo ad tenuem acrem humorem retentum, 2do ſanguinis naturalem evacuationem ſuppreſſam, 3tio tardum ſpirituum fluxum 4to ad urgentia impetum ſanguinis ad cerebrum, 5to cerebri ad originem opticorum preſſionem, 6to ad tunicarum, duræque matris inordinatum motum, 7mo ad impeditum ſanguinis liberum per venas oculi refluxum, 8vo ad ea, quæ ſpiritus aliena indole inficiunt. Percurrendo jam generales ex ordine cauſas patebit facile, eas eſſe cauſarum ſeries, quibus vertigo ſuam debet originem: humor etenim tenuis acris excerni ſolitus a quacunque cauſa retroactus viribus vitæ ferri poteſt ad cerebrum & oculos, ſanguinique circulatione miſtus ſpiritus ſecretos ea labe inquinare, vel cum ſanguine circumductus oculum ipſum, tunicamve nervi, vel duram matrem ſtimulare poterit, ut nervi agantur in alternos illos tremores, quibus concitentur refluxus ſpirituum per nervos ſimiles iis, qui revera a radiis ab objecto circumacto intra oculos derivatis generantur: ſanguinis naturalis evacuatio ſponte ſua aut arte cohibita plethoram in vaſis auget, majorem facit eorum diaſtolem, hæc præprimis majori impetu ad vaſa cruenta, filamentis nerveis contigua (§. 6to) delata majores facit vaſorum oſcillationes: Verum hæ ſunt alternæ, ita, ut inter quamlibet intercedat periſyſtole; fibras ergo

nerve-

nerveas dimovebunt tempore diaſtoles, quæ propria contractilitate in periſyſtole ſe reſtituent; erunt ergo refluxus ſpirituum in ordine ad oſcillationes vaſorum. Ad hoc, ut imaginis ab objecti ſpeciebus in retina depictæ idea transferatur ad ſenſorium commune, requiritur, ut a totidem retinæ punctis, quotquot in objecto erant, ſeu a totidem retinæ filamentis trementibus fiant refluxus ſpirituum ad ſenſorium; deficiant autem ſpiritus, refluxus eorum erunt in ratione quantitatis, adeoque mox refluent per has, jam per illas fibras, modo debilius, ſubinde nunquam, raro continuato flumine, hinc licet radii in retinæ puncta deriventur, refluxus tamen ſpirituum erunt inordinati. Laboret quis ſpaſtica partium inferiorum affectione, ſanguis impeditum tranſitum per aortœ deſcendentis ramificationes inveniens majori impetu ad caput pelletur, & diſtentis carotidum ramis vaſa cruenta tunicas nervorum pereptantia, vel ipſis pulpoſis retinæ filamentis contigua in alternum tremorem agent ea ratione, ut in plethora diximus. Bonetus ſepulch. l. 1. ſect. 11. tam in ovibus vertigine correptis, quam hominibus ventriculos nunc hydatibus, nunc ſeroſis humoribus, nunc ichore repletos invenit; his ergo comprimetur medulla cerebri ad originem opticorum, & pro diverſo capitis motu preſſione hac nunc majori, nunc minori erunt refluxus ſpirituum per fibrillas nerveas in ratione compreſſionis. Spirituum vero refluxus per filamenta nervi optici juvantur vi contractili duræ matris, & tunicarum nervi; quoties igitur aliquid ſtimulans his inhærens eas in inordinatos motus concitaverit, toties tremores nervorum his reſpondeant, oportet, eruntque fluxus ſpirituum per nervos in ratione tremorum: hoc fieri obſervamus, dum feſtuca fracti carnii duram matrem irritat. Sed quæ liberum ſanguinis per venas oculi regreſſum impediunt, vertiginem efficere poſſunt; genitus enim fuerit tumor in cerebro venas ſanguinem ex oculo reducentes comprimens, ut glandula, hydatis (qualia ex authorum, qui vertigine ante mortem correptorum cadavera ſecuerunt, obſervationibus colliguntur) orietur vertigo ex compreſſione venarum, quod hæ ſe exanire neſcientes arteriarum depletioni obſiſtant, adeoque plethoram topicam in arterioſis opticis augentes contiguas fibrillas medulloſas tremere facient per motus arteriarum oppletarum majores. Spiritus demum ad ſenſorium commune refluentes puros eſſe oportet; alienis enim miſti ſint humoribus, mutabitur illico conditio in nervis: bilioſi, icterici laborare ſolent vertigine, quod ſpiritus degenerent per bilem corruptam: id quoque nonnunquam in morbis epidemicis & peſtilentialibus ob ſpeciale miaſma a nobis inſpi-

ratum contingit: ſed & non raro generatur ab aſſumptis; ex opio temulentos & vertiginoſos factos legimus: immutantur ſæpe quoque ſpiritus, ſi talia olfacimus, ſiquidem exhalans vapor ex fermentante muſto hominem agit in vertiginem: clare hinc patet, alienos humores ſpiritibus admixtos, eos ſimili labe inficientes, cumque his per filamenta nervorum ductos, in alternos & inordinatos tremores hos agere poſſe, quibus omnia nos ambientia circumduci appareant.

§. IX. Perſcrutatis perinde ſeriebus cauſarum, quibus vertigo maxima ex parte ſuam debet originem, phœnomena porro in hac obſervata rimari licebit. Vertigine correpti omnia ambientia ſeque ipſos ſibimet videntur circumagi, jungitur his timor lapſus, crurum vacillatio, viſus hebetudo; alii nonnunquam apoplecticorum prorſus adinſtar concidunt; conjuncta ſæpenumero in aliis ſunt capitis torpor, dolor, gravitas, tinnitus aurium, dumque ſi vel levis inclinatio capitis, vel corporis circumgyratio acceſſerit, vertigo præſto eſt: quodſi longiori paroxyſmo infeſtet, vomitu, vel ingenti ad eum ſtimulo ſimul ægrotantes prehendit. Hæ jam ſunt conditiones illæ in vertigine correptis obſervatæ: verum cum phœnomena ſint effecta pendentia a ſuis cauſis, conjuncta cum vertigine phœnomena ad cauſas ejusdem (§. 8vo) ordine reducemus. Quoniam in vertigine leviori dum moveri, quæ cernimus, exiſtimamus, cum iis revera immotis radii a quolibet objecti puncto intra oculum reflexi (§. 6to) derivantur in retinam, ita, ut pulpoſa retinæ filamenta ad ſucceſſivum contactum radiorum poſita in alternum tremorem veniant per ſui dimotionem, quod vaſa contigua fortius oſcillantia molles has medulloſas retinæ fibras alterne moveant, unde radiorum termini ſervata ſemper eadem diſtantia non amplius in eadem retinæ puncta cadunt, ſed locum mutant; mutatio autem terminorum in retina, ſeu mutatio angulorum incidentiæ conjuncta eſt cum ſpeciebus objecti moti (§. 2.) objectum ergo moveri videbitur per dimotionem retinæ ab oſcillationibus vaſorum factam: Verum refluxus ſpirituum reſpondet tremori nervorum, tremores autem nervorum ſunt alterni, ut primo diximus, alterni quoque erunt refluxus ſpirituum per alternas oſcillationes vaſorum. Eſto autem, nullam in retina contingere mutationem, radii tunc intra oculum derivati locum non mutabunt, nervosque ſemper in easdem undas agent, unde refluxus ſpirituum erunt in ratione undarum: mollior jam fiat ad originem opticorum compreſſio, nulli refluent ſpiritus per fibras compreſſas; comprimens vero illud alterne actionem ſuam exerceat modo in hæc, modo in illa nervorum fila-

men-

menta, refluent ſpiritus ad alternas compreſſiones jam per has, jam per illas fibras: ſed fieri poteſt, ut cauſa premens nervos opticos ſimul hæreat in toto cerebro, qualis eſt plethora univerſalis; comprimet hæc ergo quoque medullam oblongatam, perinde nervi ad muſculos tendentes non recipient tantam copiam liquidi cerebroſi, quanta requiritur, ut muſculi in eadem ſemper contractione ſerventur, iique corpus in æquali ſtatu retineant; quia tamen tantum liquidi in illos influit, ut non ab integra actione deflectant, fibræ muſculares alterne agent, prout ſpiritus modo in has, modo in illas influunt, hinc erunt crurum, pedumque vacillatio. Comprimantur nervi muſculorum corpus ſuſtinentium ita, ut ſpiritus ex ordine fluant, refluantque jam per muſculos trahentes corpus anteriora verſus, jam ad latera, jam ad oppoſita, fluxus & refluxus eorum erunt, quales revera in rotatione corporis ex voluntate mentis peraguntur: ſed & apparens tam corporis, quam ambientium circumgyratio conjuncta poterit eſſe cum idea lapſus, in vertigine ergo labi timebimus; quoniam vero in metu liquida debiliori motu moventur ad extra, parcius derivabuntur ſpiritus in muſculos, crurumque titubatio orietur ex ſolo metu lapſus non eſſentialiter connexa cum compreſſione reliquorum nervorum. In vertigine tenebricoſa objecta obſcure, & quaſi umbris comſperſa repræſentantur, æger in terram labitur, cordis accedit palpitatio, membra corripiuntur tremore, ſuſurrant, vel quidquam ſentiunt aures: conditiones hæ huic vertiginis ſpeciei accidentes majorem arteriarum, venarumque diſtenſionem demonſtrant: data enim majori vaſorum ſanguineorum capitis repletione, arteriæ dilatabuntur magis, ac intumeſcent, & ſanguis præcipue ad vaſa minora fiet per craſſitiem tardioris motus, unde impetus ſuccedentis erit validior, arteriæ majori momento trudentur extrorſum, nervique aut retina loco magis movebuntur, hinc apparens objectorum nutatio erit major; cumque ſimul influxus liquidi cerebroſi ad retinam ſit minor, cujus fibræ compreſſæ defectu liquidi replentis a radiis in undas minores aguntur, refluxus ſpirituum ad ſenſorium erunt debiles, & imago quaſi umbris conſperſa animæ repræſentabitur: quodſi excitatur vertigo per materiæ copioſioris influxus in arterias, fluet illa non per unicam arteriam ſolum, ſed per omnes totum caput pecurrentes, premetur ergo origo nervorum, liquidumque cerebroſum parcius ad partes influet, quo contractio partium muſculoſarum neceſſario minuetur; Verum corpus ſine plurium muſculorum contractione ſtare nequit, imminutâ igitur horum contractilitate corpus proprio pondere ruet; inde pari-

ter fit membrorum tremor, cum muſculos debilius contractos partium pondus facile vincat. Ex eadem cauſa naſcitur cordis palpitatio, nam cor muſculus eſt, jugi ac conſtanti liquidi ſpirituoſi influxu contrahendus, preſſis autem nervis liquidum ſpirituoſum parcius ad illum fluit, debilius ergo cor contrahendum, & ſanguis in thalamis ipſius accumulandus; præterea imminuto liquidi hujus ad partes influxu vaſa capillaria debilius oſcillant, lentius ſanguinem exprimunt, qui in ſubſtantia partium hærens alteri ab arteriis impulſo, & huic etiam e corde egreſſuro obſiſtit. Ex hac quoque vaſorum oppletione naſcitur capitis gravitas, quod latera vaſorum magis ab axe remota, plus liquidi vehant, quam elater ſolidorum naturaliter admittat, hæc eouſque diſtenta, ut nitantur in ſui ſolutionem, doloris efficient ideam: quod vero liquidum arterioſum diſtendat validius univerſum vaſculoſum encephali ſyſtema, ſequitur, arteriolas, quæ ad aurem internam deferuntur, membranas, & oſſicula dimovere, & in tremorem aliquem agere, qui hunc vel illum ſonum pro diverſitate impulſuum & preſſionum repræſentabit, unde aliquibus aut aliquando tinniet, ſibilabit aliis, vel pluviam decidentem imitabitur. Nauſeæ, vomitus, cardialigia, borborigmi vertiginem quandoque antecedunt, quæ abſque his aliquando recurrit, hæc cauſam remotam vertiginis, ejusque veluti fomitem oſtendunt; dum enim ingluvies & plurimum humorum, & eosdem craſſiores generat, arteriæ per eos implebuntur magis, & intumeſcent, & ſanguis præcipue ad vaſa minora per craſſitiem fiet tardioris motus, unde impetus ſuccedentis erit validior, arteriæque majori impetu urgebuntur extrorſum, hinc nervi aut retina dimovebuntur magis: quia vero etiam aſſumpta mora in ventriculo ſponte degenerare poſſunt in varias acrimonias, hæ nerveum ejusdem ſyſtema ſtimulabunt vehementius, unde major exprimitur copia liquidi per nervos in ventriculi muſculum, quo illius ſubita convulſio, atque inde pendens ſubitanea & valida conſtrictio ventriculi, ex eoque, ſi quæ tum ſint, contentorum ejectio per os ſeu vomitus, ſi vero ſit inanis, ſolus ad vomendum ſtimulus ſequetur.

§. X. Vertigo ſimplex græcis Δινος, recens præſertim & accidentalis curatu facilis, quia cauſa ejus minor eſt, neque encephali labes præceſſit: cum vis arteriarum dimovens præterfluente ſanguine ſtatim ceſſet, vel quæcunque fuerit cauſa ſpeciem vertiginis excitans, ſtatim ſimiliter ceſſet, illius ſpeciei tremor mox quieſcet, unde & objectorum quies rurſus obverſabitur oculis, atque a lapſu tutos nos exiſti-

mabimus. σκοτόδινος vero præſertim ſi habitualis fuerit, *periodica*, aut diu durans, periculoſa admodum, quoniam materiem morbi validam ſignificat: in ſenibus vero eo plus portendit periculi, quod obſtructionem in vaſis minimis cum tardiori ſanguinis per hæc fluxu denotet. Vertigini plerumque ſuccedit apoplexia, vel epilepſia; quoniam apoplexia a preſſione plerumque provenit, fieri poteſt, ut illud comprimens ſeu infarciens arterias ſit majoris, ac tantæ molis, ut omnes cerebri arterias impleat, ac nervos omnes cerebri premat, unde ſpiritibus nullis in organa ſenſuum, motuumque voluntariorum derivatis, excitato prius brevi vertiginis paroxyſmo in apoplexiam abibit: ſi vero non omnes arterias ex æquo impleat, non omnes nervos ex æquo premet, undo major liquidi quantitas protrudetur per nervos a compreſſione liberos in muſculos, adeoque hic aut ille muſculus ſubito contrahetur, ſeu convelletur, nec ſtare poterit corpus, ſed concidet: ſentiet tamen per nervos non compreſſos, quorum quidam vero pro diverſitate & diuturnitate compreſſionis in diverſis cerebri partibus vitiantur, unde ſenſus modo hic, modo ille abolebitur, ſeu vertiginoſus ille evadet epilepticus.

§. XI. In andecedentibus diximus, vertiginem eſſe morbum ex phœnomeno vocatum, & propterea a multis cauſis poſſe produci, non vero ab omnibus, quæ conditionem corporis ſani mutare poſſunt, inde illæ cauſæ omnes (§. 8vo) quas obſervaverunt authores inducere vertiginem, ex ordine diſquirendæ, ut ſemper cujusque cauſarum ſigna & curationem adiungere liceat. Ad conſtantem & perpetuam perceptionem imaginis requiritur æquabilis ſpirituum bonorum fluxus & refluxus, eandem vero lædit, quodcunque inordinatum fluxum eorum efficit: hujus inordinati fluxus cauſa eſt, quod, qui ad oculum deſtinantur ſpiritus, a quovis acri tenui humore inquinentur; hi ergo alienæ indolis vertiginem faciunt: Sed delata hæc quoque ad tunicas nervorum harum etiam motum inordinatum generat, unde interruptus ſpirituum fluxus ex utraque cauſa producere poterit vertiginem: hic humor acris ex manifeſtiſſimis cauſis oritur, quæ multis non egent ſignis; nam ſi quis ulcere laborat, ex quo plurimum ſolebat ichoris fundere, ſuppreſſo hoc nemo dubitabit, vertiginem mox natam ab ichore ad cerebrum delato generatam. Verum difficilius eſt ex prohibita inſenſibili tranſpiratione ortam noſcere; indagandum ergo in cauſas, quibus ſalutaris hæc excretio prohibetur; harum ſi aliquam novimus, videndum, an vertigo nata huic congrua ſit, ita præter reliquas Hipp. Sect. 3tia Aphoriſmo 17mo & 23tio hiemem & auſtrinam

conſtitutionem vertigini familiarem aſſeruit, non quod hæc vertiginem faciant, ſed quod minuta perſpiratione acer tenuis humor excerni ſolitus ad cerebrum agatur: ex hoc in oculo vertigo nata exigit primo derivationem hujus humoris ad priora loca, vel ad alia minus periculoſa; 2do ejus eductionem; 3tio cerebri roborationem: manentem hanc in corpore materiem ita emendare & ſubigere, ut in encephalo permanens ſpiritus in nullos inordinatos motus concitet, fere impoſſibile eſt; hinc omnia antidinica nullius ſunt momenti, inde neceſſe eſt, ut materia hæc ex encephalo ducatur ad partem, unde retroacta, vel ad aliam, ubi non poteſt tam periculoſum morbum excitare: primo ergo ſeligendus locus, ex cujus ſuppreſſione materies ad cerebrum fuit delata: igitur ſi ulcus fuit conſolidatum, & vertigo orta, ulcus renovandum, per hoc enim ulcus materies fuiſſet evacuata; nam ſi dabatur via ab hoc ulcere ad cerebrum, per hanc denuo ad idem materiæ derivatio fier poterit: quodſi hoc quibuscunque de cauſis repugnet, ad alia loca minus periculoſa ducenda, commode hoc fit in toto corporis ambitu: ſcimus excitato ſtimulo in quadam parte majorem illuc fieri affluxum, irritare igitur oportet nervos alicujus partis, ut illum humorem alliciant, inſerviunt huic ſcopo veſicatoria, ſetacea, fonticuli; ſed & eligendus præterea eſt locus, qui cum oculis præprimis conſentiat; illa loca per experientiam novimus eſſe brachia, ſcapulas, nuchas; applicanda ergo veſicatoria ſcapulis, ſetacea cervici, fonticuli in brachio excitandi: verum quoad eductionem duo præprimis ſe ſiſtunt organa materiem hanc evacuantia, cutis nempe & alvus: ſi ab inſenſibili perſpiratione ſuppreſſa ortum traxerit, huic diaphoreticis occurendum: hic ergo maxime ſerviunt 🝗eres diapnoici ex ♁io diaph. vel ceruſſ. ♁ii, aut bezoardico minerali addito abſorbente quodam & cinnabari vel nativa, vel artificiali compoſiti, & vel ſoli, vel cum ▽is diapnoicis aſſumendi: quodſi cruditatum ſimul primarum viarum indicia ſubſint, alvi ſubductio confert, ob eam rem laxantia ex tamarindis paſſulis majoribus & minoribus, manna, rheo, cremore 🜿ri, magneſia ⦶tri & ſimilibus parata commodam locant operam: ſed ſi eo usque jam progreſſum, ut vel materies e ſede ſua depulſa per ſigna manifeſtetur, vel mobilis reddita ſyſtemate nervoſo nimis debili ſtimulo egeant, quo moveatur, talibus utendum, quæ leni ſtimulo cerebro grato agunt, hæc inter ſunt ſic dicta cephalica, vel aſſumpta vel applicata ad caput ſub forma cucuphæ, inunctionis, ſuffumigii ex aromaticis 🜩uoſis, ⊖libus volatilibus & roborantibus: qualia ſunt

herb.

herb. majoran. ror. mar. baſil. ſalv. meliſſ. ruth. flor. lavend. anthos, ſuccin. & ſimilia, inde parata varia compoſita, ut ▽a apoplectica, balſam. apoplect. Borrh. unguent. nerv. ſpec. pro cucupha &c. ſuppeditant.

§. XII. Sunt quidam corporis noſtri fontes, quibus ſuperfluum in corpore expellitur: id vel per aſſuetudinem vel artem, aut ex ipſo naturæ inſtinctu fit; ita ſi aliquis venæſectioni ſimilive depletioni, vel hæmorrhagiæ aſſuetus ſit, ex horum intermiſſione in morbum labitur: Sanguis enim ille vel arte, vel natura excerni ſolitus retinetur in corpore, auget momentum ſanguinis circulantis, diſtendit latera vaſorum, ad opticos delatus eos comprimit, facit vertiginem: ſed & natura ipſa nititur ſuperfluum e corpore eliminare: in fœminis per periodos tam ordinatas ſanguis excernitur, ut quam primitus mole ſua vaſa ultra, quam ferre poſſint, diſtendat, eorum illico ſequatur depletio: obſervamus porro ſimilem non raro ſalutarem excretionem in viris, horum quidam laborant hæmorrhoidalium ſtillicidio, quo natura moleſtam ſibi plethoram exterminat: aliorum vero ſanitatem hæmorrhagiis narium ſartam tectamque vindicat: omnes jam hæ adeo ſanitati prolificantes ſanguinis excretiones vel arte, vel ſponte immunitæ aut ſuppreſſæ plethoram in vaſis augent, majorem faciunt eorum diſtenſionem atrociſſimasque non raro creant ægritudines; quarum inter vertigo non ultimum tenet locum, quod ad cerebrum delata nervorum opticorum compreſſionem ex facili inducat, ab hac cauſa ortam non difficulter noſcimus, ſuppreſſam ſimilem excretionem, mox natam vertiginem interogati affirmant; inde ſcio, huic cauſæ ſuam debere originem: hæc ergo petit ſui ablationem, derivationem: tota ergo curatio locanda vel maxime in evacuatione: verum evacuationum fontes ſint ſimul ii, quæ & plethoram e cerebro derivent, eamque ſimul evacuent; inſtituatur ergo venæſectio in pede pro diverſo plethoræ gradu repetenda: huic ſubjungenda evacuatio per hirudines iis in locis inſtituenda, ubi venæſectio locum non habet: ſcarificatio vero in naribut juxta Ægyptios vertigini ex hæmorrhagiæ eorundem ſuppreſſione natæ admodum opitulatur. Sed a partibus encephali vel maxime detrahunt pediluvia ex ▽a font. tepida ſola, vel furfuribus triticeis, aut ſpeciebus emolientibus incoctis addito ſtimulo ſalino vel e ⊖e communi aut gemmæ &c. parata. Verum quoniam plethora non ſola ſanguinis mole, ſed ejus quoque rareſcentia inducitur, cauſam hanc auſſeremus, quoties ejusdem orgasmum compeſcimus; minuimus illum

per

per ⦶oſa, ▽ea acidis ſaturata, conchas citratas, oc. ♋ citratos, ſolutionem oc. ♋, coralliorum &c. 2do per acida vegetabilia, ut ſuccos vegetabilium acidos, citri, berberum, ribium &c. 3tio per ſpiritus acidos mineralium; ut ⌒um ⦶tri, ⦶li in ▽a dilutos; quia enim hæc ſanguinis per vaſa progreſſum retardant, ejusdem quoque auctum inteſtinum motum refrænant, quod ſub tardiori motu maſſulæ ſanguinis ſe magis attrahant, unde moles earum minor capacitatem vaſorum diminuit, ſi vero ab hæmorrhoidum menſiumve ſuppreſſione malum id ortum fuerit, præter has ſanguinis depletiones conveniunt ea, quæ ſpecifice illorum fluxui medentur: talia ſunt præter reſolventia ⦶oſa, cinnabarina aperitiva virtute conſpicua, ut ⊖les neutri arcan. ſcilicet 2plicat. †rus ⊕lat ⊖ polychreſt. ☿ deopilat. r. e vegetabilibus radix cichor. grami. radices aperit. tum majores tum minores, herb. card. bened. &c. gummata ut Xcum, galban. opopan. & quæ ſimilia; tum & ea, quæ ſpecifica pellente virtute in menſium defectu pollent, horum in numero ſunt præter ante dicta reſolventia ⊖lina, aperitiva, fl. cheiri, herb. meliſſ. puleg. ſabin. borax. venet. crocus &c. verum harum ſuppreſſionum curationem pro diverſitate cauſarum ad ſuas quasque remittimus claſſes.

§. XIII. Spirituum tardiorem fluxum inter cauſas quoque vertiginis (§. 8.) repoſuimus: ad viſum enim requiritur ſufficiens liquidi cerebroſi per opticos fluxus, quoties ergo hic deficit, toties ſpirituum refluxus ad ſenſorium ſunt inordinati: verum deficere poterunt, quod vel non ſecernantur vi organi, vel quod eorum materies alio derivetur: primum fit organis ſecretoriis vel compreſſis, vel obſtructis aut concretis: comprimi poterunt primo a plethora; hac ergo dempta materies ſpirituum denuo derivabitur in nervos, hinc vertigo tollitur: hanc autem cauſam jam (§. 12.) expoſuimus, ergo non amplius pertractanda. 2do preſſio hæc oritur non nunquam a tumore, ſero, aqua, ichore, fracto introrſum cranio, hæc ergo cauſa aufferenda; quia vero de hac peculiariter acturi ſumus, eam ad hanc claſſem relegamus. 3tio obſtructi vel concreti generant ſpirituum impeditam ſecretionem; verum obſtructio vel concretio nequit producere vertiginem; in vertigine enim ſpiritus licet inordinate, tamen refluant, oportet; per obſtructa vero aut concreta nervorum filamenta nulli refluunt ſpiritus, ergo nullus poterit fieri inordinatus ſpirituum refluxus ad ſenſorium commune, adeoque nulla excitari vertigo: materies autem ſpirituum

ad

ad aliam partem derivata eorum ſecretionem imminuit; non ſufficit enim, ut ſanguis adferatur, ſed oportet etiam, ut eorum materiam contineat: quodſi ergo hi in aliqua corporis parte ſic conſumuntur, ut vel nulli, vel pauciſſimi ad cor refluant, materies eorum in ſanguine erit vel nulla, vel exigua admodum quantitate; fieri id obſervamus in nimia mentis attentione, ſtudio ſeveriori, largiori veneris exercitio, ſenectute; unde pauciſſimi a ſanguine extruduntur ſpiritus in nervos opticos, debiles ergo erunt refluxus ab organo mutato, ſeu ſpecies eorum erunt inordinatæ: tunc conqueruntur vero ægri ſe vertiginoſos fieri, quando mentem intendunt, vel ſi quis vult fateri, ſe venere abuti, non eſt opus ulterius inveſtigare; ſenectutis autem ſigna cuilibet manifeſta ſunt, in curatione ergo requiritur, ut ſpirituum ſecretio procuretur: quodſi quis aliquid illorum experiatur, omnium primo abſtinere debet ab hac cauſa, igitur quies menti concilianda; in evacuatione vero ſeminis largiori per veneris exercitium a mala hac conſuetudine declinandum: ſed ſubinde peractis his tamen materiæ ſpirituum reſtat defectus, qui & ſenio præſertim communis eſt: ſcimus autem, nihil inveniri in rerum natura, quod non ſine prævia corporis noſtri mutatione ſpirituum materiem ſubminiſtret, igitur tali victu utendum, qui facilem præbeat materiem, & non multa egeat mutatione; talia ſunt ova recentia, carnes juniorum animalium, gelatinæ variæ cum juſculis animantium aſſumptæ, jura viperina, vina fragrantia, limpida, ſuavia, ſatis volatilia, ut Rhenana, Moſelana; ſed ut materies præparata magis ducatur ad caput, his adjungenda ſunt lenia cephalica, uti meliſſa, pulegium, moriana, lavendula, ſtœchas &c. in varia forma errhini, illinitionis, epithematis.

§. XIV. Nervos opticos vel in cerebro vel in progreſſu preſſos induxiſſe vertiginem, cadaverum ſectio nos docet, quomodo vero fiat ut hæc inde oriatur, ex cauſis (§. 8.) explicuimus: compreſſio hæc facit minorem ſpirituum per nervos fluxum, hic vertiginem (§. 13.) ſed cauſa comprimens poteſt eſſe ſanguis, ſerum, ichor, hydatides in plexu choroideo: verum hæc noſcere difficile eſt; ſigna igitur tam ex antecedentibus, quam ex præſentibus phœnomenis petenda, ut intelligatur, an illud comprimens ſit vel ſerum vel ſanguis: ſi vertigo oritur ſolito ſtillicidio vel per aures, vel per nares ſuppreſſo, aut ſi homo diu laboravit hydrocephalo, & dein redditur vertiginoſus, accedit demum faciei pallor, ſenſuum ſtupor: capitis gravitas, oculorum illachrimatio, ſique hæc increſcunt cum pulſu debiliore ſine calore febrili, judicamus hanc vertiginem a ſero circa nervos opticos collecto

generari: indicatur ergo reſeratio ſuppreſſæ excretionis, 2do ejusdem derivatio, evacuatio, 3tio capitis roboratio: ſi anteceſſerit ſuppreſſa ſolita ſeri evacuatio per nares, aures, æger aliquoties admittere debet ad nares vaporem humidum, ut excretoria exſiccata & conſtricta reſerentur, inde attrahantur naribus errhina ſtimulantia, ut manna in ▽a majoranæ ſoluta, ♁ extract. lign. guajac. ex ejusdem decocto ad mentem Frid. Hoffmann. parati, quod præter errhinam, & ſtimulantem, ſimul quandam poſſidet facultatem roborantem nervoſis capitis partibus amiciſſimam, ♁ rad. ireos florent. vel ſternutatorius diſpenſat. viennenſ. aut ⊖ xcum volat. cum °oleo majoranæ eſſentificatum: in ore interim quoque detinenda quædam, præter nicotianæ enim herbæ betonicæ commixtæ fumum ptarmica virtute excellunt radix pyreth. oſtruc. zedoar. &c. decocta vero ex radice pyrethri, carioph. herb. majoran. ſatur. Angelic. cum vino confecta, & in ore detenta magnum ad fauces affluxum provocant: & ut artificialis quoque fiat evacuatio, nuchis applicandum veſicatorium, aut etiam ſetaceum adhibendum: externe capiti admoveantur, quæ diſcutiente & ſimul roborante virtute pollent, uti ſunt ea, quæ inter cephalica (§. 11mo) enumeravimus: his vero ſemper interponenda laxantia e rad. jalapp. fol. Senn. rheo, ☿ dulc. gumm. xco, extract. panchimag. Croll. polychreſt. ſub variis formis paranda. Sanguis vero hanc compreſſionem faciens hæret intra vaſa, eaque diſtendit, vel illa in quodam encephali loco effuſus comprimit ad origines nervorum: ille autem intra vaſa hærens vel communem in corpore cauſam agnoſcit ſcilicet plethoram natam, ad (§. 12.) referendam, vel hæc eſt topica, ſola vaſa oculi infarciens: verum hæc aut impeditur refluere per venas, aut per arteriæ capillamenta non transmittitur, utraque pro cauſa habet aut ſanguinis craſſitiem aut acrimoniam, hæc refertur ad acrem humorem, vel totius maſſæ, ut in ſcorbuticis, vel ad peculiarem tenuem a quadam parte retroactum: hujus ſigna & curatio in (§. 11.) inquirenda; totius vero maſſæ acrimonia ex morbis unde advenit per ſua ſigna detegenda & curanda: quoniam autem nulla ſanguinis craſſities oritur, niſi vel ab ingeſtis vel lenteſcente ejusdem per vaſa motu: in plethora vero minuitur momentum ſanguinis circulantis, ideo maſſulæ ejusdem ſub tardiori motu concreſcent magis, hinc ejus craſſities pendebit a copia ſanguinis per vaſa moti, perinde erunt ſigna & curatio vel primarum viarum vel plethoræ, illa ad ſpecialem horum pertractationem, hæc ad (§. 12.) reducenda. Verum ſanguinis difficilio-

ris

ris per venas reditus cauſa eſſe poterit, quodcunque comprimens, illud comprimens jam ſit ſerum, lympha effuſa, hytadites, eorum ſigna & curatio ex compreſſione nervorum ab his orta eodem §vo petenda. Si ſanguis effuſus tam venas, quam nervos compreſſerit, cum non niſi ab acrimonia vaſa erodente, adeoque ſcorbutica quaſi humorum dyſcraſia conjuncta oriatur alias, violentiſſimam agnoſcit cauſam: hinc ſi anteceſſerit ſternutatio, contuſio, fractura, vulnus capitis, & ſenſim dein accedat dolor, gravitas capitis, ſenſuum ſtupor cum vertigine temperamentum quoque ſit ſanguineum, judicamus illum effuſum feciſſe hanc cerebri compreſſionem: indicatio ergo curatoria dirigatur ad hæc duo, primo ut effuſus ſanguis educatur, ſecundo ut nova accumulatio ejusdem præveniatur; quod niſi ſponte facta ruptione per nares, aures, aut os ſanguis evacuetur, fruſtra medicamentis id præſtare tentamus, ergo vel naturæ relinquendum, vel ſi intra cranium & menynges effuſus per ſigna pateat, arte chirurgica tolli poterit, id per terebrationem cranii in loco affecto inſtituendum: ejusdem vero ulterior accumulatio prævenienda quiete, & applicatis medicamentis adſtringentibus & vulnerariis, cujus non exiguæ præter ſpiritum vini ſolum, aut camphoratum virtutis deprædicatur ▽a illa, quæ ex optimis herbis vulnerariis noſtris temporibus paratur, & l'eau d'arquebouſade dicitur.

§. XV. Verum, quæ ſanguinem ad ſuperiora urgent, vertiginis cauſa fieri poſſunt: ſanguis enim per aortæ ramos ad ventriculum, inteſtina, uterum, aliaque abdominis viſcera vel obſtructa aut compreſſa (ut in gravidis) vel ſpaſtice affecta derivari neſcius, per aortæ ſuperioris ramos ruens diſtendit quoque tendentes ad oculos, & ad tunicas nervorum, unde major eorum repletio, majorem repletionem ſequitur major diaſtoles, majori diaſtole major fit ſyſtoles, unde oſcillationes illæ vaſorum opticorum majores nervos opticos premunt validius, & in ratione oſcillationum dimovent alterne ita, ut tremores nervorum ſequantur vaſorum ſuccuſſationes; unde refluxus quoque ſpirituum erunt inordinati: talia autem, quæ viſcera hæc vel obſtruendo, vel comprimendo, aut ſpaſtice afficiendo humores ad cerebrum urgent, ſunt vel plethora, vel acre, vel viſcidum, vel comprimens vaſa: plethora per temperamentum, vaſa turgida, pulſum majorem, faciei ruborem manifeſtatur: hæc petit ſui ablationem, derivationem ad inferiora: cura ergo hujus deſumenda ex (§. 12.) Acrimonia varia in primis præſertim viis ſtabulans per ſua ſigna detegitur: Intelligitur acidi præſentia ex cibis, potuque prægreſſo, farinoſis, acidis ſuccolen-

tis, recentibus crudis aut fermentatis, appetitu ingenti præſertim rerum terreſtrium & abſorbentium, ructibus acidis, dolore mordente ventriculi, ſpaſmis, fœcibus alvi virideſcentibus, torminoſis, ⊡a ſtranguriosa, alba: curatur oppoſitis abſorbentibus ▽eis oc. ♋ ppt. chel. ♋ ppt. creta colonienſ. &c. amaricantibus, Card. bened. abſynth. gentian. &c. Viſcidum noſcitur ab aſſumptis talibus lenteſcentibus, a debilitate viſcerum chylopoëticorum, appetitu dejecto, ſenſu ponderis in ventriculo, nauſea, quandoque vomitu materiæ pituitoſæ, abdominis tumore, alvo tardiori, pallore corporis, laſſitudine, ⊡a pallida non fœtente, ſaliva ſpiſſa tenanaci &c. Hujus cura abſolvitur reſolventibus, ſtimulantibus, amaricantibus: ex chemicis huc referendi ⊖les alcalini fixi, abſynth. centaur. min. ⊖les dein medii arcan. 2plic. ⊖ polychreſt. anglic. catarct. &c. ex vegetabilibus radicibus quinque aperitivis majoribus, minoribusque cichor. gentian. herb. abſynth. agrimon. Card. bened. &c. acria aromatica, rad. acor. ari, galang. Zinzib. &c. ſemina quatuor calida majora, minora, ſinapi &c. Acrimoniam alcalinam cognoſcimus in temperamento cholerico ab aſſumptis facile putreſcentibus, ructibus nidroſis, vomitu materiæ bilioſæ, graveolentis, fœcibus nigris fœtidis, ⊡a fœtida: curatur acidis vegetabilium ſuccis, ut & ▽eis acido ſaturatis, ⦶tro, cremore & cryſtallis ♆ri &c. hæ cauſæ ergo ad varia viſcera delatæ nunc ſpaſmos in ventriculo, inteſtinis, utero, hepate &c. nunc obſtructiones ad vaſa minima creare poſſunt, ſanguini ergo advenienti obicem ponunt, qui inde majori impetu ad ſuperiora fertur, unde hypochondriaci, & hyſtericæ vertigine adeo frequenter affliguntur. Verum perſpecta magis horum malorum idea lectorem ad hæc remittimus: in gravidis autem præter capitis dolorem, gravitatem, & ſimilia vertigo generatur, quod viſcerum a fœtu grandiore facto compreſſione humores urgeantur ad ſuperiora, inde plethora in capite nata exigit ſui ablationem; quoniam vero cauſa faciens plethoram aufferri nequit, niſi fœtu maturo excluſo, prophilaxin inſtituere oportet: plethora ergo tollenda venæſectione in brachio, orgaſmus ejusdem compeſcendus ▽eis acido ſaturatis, ⦶ſis &c. Sed & alvi non raro conſtipatione vertigo oritur: hoc facile cognoſcimus, nam ſi quis dicit ſe per longum tempus non exoneraſſe alvum, & dein redditur vertiginoſus, nemo dubitare poteſt, quin oriatur ex retentis excrementis: ergo alvus ducenda clyſmate emolliente ex herbis emollientibus, ☍ amygd. dulc. aut ſimilibus leni ſtimulo ſalino addito, vel

dari

dari poteſt lene laxans ex manna, caſſia, vel tamarindis compoſitum.

§. XVI. Alieni autem humores ſpiritibus admiſti vel ad organa viſus delata vertiginem generare poſſunt ex (§. 8.) hi vel aſſumuntur, vel corpori externe applicantur: in quibusdam ingeſtis vel applicatis quoddam ſpecificum latet virus, quod magis hunc quam alium morbum producit ita opium quosdam ſi non decumbunt, agit in vertiginem; hinc opium aliquid ſpeciale habet, quo talem mutationem facit in nervis opticis, ut homines ex ejus uſu ebriorum ad inſtar temulenti fiant, & vertiginoſi: hoc ſolis detegimus experimentis: quodſi ergo quis vertiginoſus reddatur ex opii uſu, horizontaliter decumbere debet, nullo enim alio auxilio melius talem vertiginem curabilem eſſe, experientia didicit Sydenham. Spiritus inebriantes indifferenter ſeu ex ſucco plantarum, melle, fructibus horæis, farinoſis, fermentatione parentur, omnibus in hominibus, ſi paulo plus aſſumunt, excitant vertiginem: ſpiritus hi inflammabiles ſui ſuppreſſionem exigunt; melius nondum experientia auxilium deteximus præter acetum, ſuccos acidos citri, cremorem & cryſtallos ♀ri, quoniam hæc admiſtu vinoſum illud fermentatum exſtingunt, & in aceti naturam convertunt: ex carbonum quoque fumo non raro delabuntur homines in vertiginem; hic per ſe quidem non facit vertiginem, ſed quando partes metallicæ cum fumo elevatæ a nobis inſpirantur, hinc carbo præprimis foſſilis, & ex ceſpitibus noſtris ob 🜍ris vel bitumenis admiſtum ſpiritus aliena indole inficit: hujus nullum ſpecificum antitodum adhuc innotuit; quamobrem talis fumus eſt evitandus äere novo: verum etiam nicotiana tam in fumo, quam applicatione aliquid ſoporiferum ſtupefaciens exhibet; quippe denti carioſo contra ejusdem dolorem inditur: toxicum illud jam a nobis aſſumptum ſæpe vertiginem creat; minuitur hæc per acida auſtera, hinc qui ex nicotiana in vertiginem incidit, bibat poma, pyra, vel alia acida in potum redacta. Non nunquam in morbis epidemicis & peſtilentialibus ob ſpeciale äeri commixtum venenum a nobis inſpiratum in vertiginem agimur: hujus indolem hucusque nondum detegere licuit: nullum ergo huic contrarium novimus; quoniam vero corpus cæteroquin valens hujus inſpiratione tam cito in vertiginem non agatur, nullum ſpecialius medicamentum annectendum, ſed talis ſemper evitanda. Bilis autem corrupta ad ſanguinem delata, indeque cum ſpiritibus ſecreta eos hac labe inquinans noſcitur per ſigna (§. 8vo & xv.) hæc exigit ſui derivationem, evacuationem: *non febrici-*

 tanti

tanti enim, inquit Hippocrates ſect. 4. Aphoriſm. 17mo *appetitus dejectus, & oris ventriculi morſus, & tenebricoſa vertigo, & os amareſcens ſurſum purgante opus eſſe incidat*: purgare ergo poterimus emetico ex hypecac. 🜇ro emet. aut ſyrup. emet. diſpenſat. viennenſ. vidimus jam ſeries cauſarum, a quibus vertigo maxima ex parte ſuos trahit natales: varias enim has cauſas eadem curandi methodo complecti fuiſſet impoſſibile jam enim erat vena ſecanda, jam omittenda, alvus nunc ducenda, in alia partes ſtimulandæ, nulla harum medellarum in alia: *Vix enim ulla perpetua præcepta ars medicinalis recipit*, ait celſus præfat. pag. 17. Unde etiam vetuſtiſſimus author Hippocrates ejusdem 15. & 3. 2. dixit, *mederi oportere & communia & propria intuentem.* His ergo omnibus conſideratis benignum Lectoris de conatibus his noſtris ut ut imperfectis judicium exſpectamus.

COROLARIA.

EX PRECEDENTIBUS DEDUCUNTUR,

1mo IN quo conſiſtat vertiginis natura, differentia?

Vertiginis naturam deſumpſimus ex phænomeno omni in ægro obſervato, quo omnia ægris obſervantia in gyrum agi apparent; verum in aliis junctus eſt lapſus, obnubilatio; quos igitur ſimul ſcotomia cum metu caſus, aut lapſu ipſo prehendi cernimus, illos morbo majori affligi, adeoque vertiginem differe gradu intelligimus.

2do An lapſus in quadam vertiginis ſpecie ſit eſſentialiter connexus cum cauſa vertiginis?

Cauſa excitans vertiginem eſſe poteſt in toto cerebro; comprimet ergo illa nervos abeuntes ad muſculos corpus ſuſtinentes, nulloſque transmittet ſpiritus per nervos, adeoque lapſus pendebit a cauſa vertiginis; verum quia ſpecies rerum nos ambientium circumgyratarum conjunctæ ſunt cum ſpeciebus lapſus, ex hujus timore nulli fluent ſpiritus ad partes muſculoſas, perinde ex idea lapſus corpus concidet.

3tio Num vertigo ſemper oriatur a retina vel nervo optico mutato, an non etiam a mutatione humorum oculi vel totius bulbi?

Quoniam ex rotatione oculi per ſuos muſculos radii intra hunc derivati non amplius eadem retinæ puncta tangunt, tremores nervorum a radiis irruentibus excitari poterunt ex ordine contactuum, hinc refluxus ſpirituum ad ſenſorium erunt ſimiles iis, qui re vera ab objecti circumacti ſpeciebus intra oculum perductis fiunt: circumactione vero humorum focus radiorum non amplius eſt in iisdem retinæ ſpatiolis minimis, ergo motu humorum radiorum directio fiet ex ordine motuum, & objecta viſa circumagi videbuntur per gyrationem humorum; ſed circumduci nequeunt niſi ſolus humor cryſtallinus, ergo hujus ſolius gyratione orietur vertigo

4to Cur dinos minus periculoſus, quam Scotodinos?

In vertigine leviori objecta viſa videntur circumagi ex refluxibus inordinatis ſpirituum per fibrillas nervi optici; ſed quia in Scotodino per quasdam ex integro non fluunt, cauſam vertiginis majorem ſignificat.

5to Cur in ſenibus majus portendat periculum?

In ſenibus vertigo orta agnoſcit vaſorum minimorum depletionem, concretionem, exſicationem; perinde denotat defectum ſpirituum, impeditum fluidorum permeatum & quæ ex his mala ſequuntur.

6to An certiſſimum apoplexiæ præſagium, atque cur ſæpe ejusdem ut & epilepſiæ prænuncia?

Cauſa apoplexiæ & vertiginis eſſe poteſt compreſſio nervorum; quoties igitur cauſa comprimens nervos eſt in toto cerebro, illa non tantum premet nervos opticos, ſed & reliquos ſenſuum, motuumque voluntariorum: fieri autem poteſt, ut illa non omnes nervos ex æquo premat, extrudetur itaque liquidum nerveum majori copia per nervos a compreſſione liberos in muſculos, hinc ſubito convelletur hic aut ille muſculus: quodſi autem preſſio tantum ad opticos contingat, fluxus ſpirituum per hos ſolum erit inordinatus.

7timo Num vertiginis curatio diſtinguenda juxta ejus gradus, an cauſas ejusdem?

Practicorum multi diſtinguunt gradum in vertigine, ut forment indicationem curativam, quaſi ſemper generaretur ab eadem cauſa, ſed quia ex antecedentibus conſtat, a variis & multis cauſis excitari vertiginem, ideo in curatione magis ad cauſam, quam ad gradum debemus reſpicere.

8vo An venæſectio, emetica, purgantia in omni vertiginis ſpecie, an in quadam, an in nulla conveniant, & an dentur medicamenta antidinica?

Vidimus, quod diverſæ admodum cauſæ ſint, quæ eadem methodo, aut iisdem medicamentis curari nequeunt: jam enim eſt vena ſecanda, jam vero omittenda, jam ſtimulantia ſunt adhibenda, jam vero noxia ſunt eadem; nunc derivatio eſt inſtituenda, nunc eadem prorſus nocet: hinc evaneſcunt omnia arcana antidinica; eadem autem bona & ſpecifica cenſentur, quæ cauſæ medentur; non enim eadem omnibus *(aſſentit celſus præfat. pag. 18.)* etiam in ſimilibus caſibus opitulantur.

F I N I S.

(2)

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA DE ASTHMATE,

QUAM

DIVINA FAVENTE CLEMENTIA

DECRETO, AUTHORITATE, & CONSENSU

Perilluſtrium, Magnificorum, Spectabilium, Prænobilium, Excellentiſſimorum, atque Clariſſimorum Virorum &c. Perilluſtris, Magnifici, Spectabilis, ac Excellentiſſimi Domini Univerſitatis RECTORIS; Perilluſtris, Spectabilis, Clariſſimi ac Excellentiſſimi Inclytæ Facultatis Medicæ Domini DECANI: Venerabilis Domini Senioris, Sac. Cæſ. Regiæque Majeſtatis DD. Conſiliariorum, Archiatrorum, nec non DD. Profeſſorum, adeoque totius Ampliſſimi DD. Medicorum Collegii,

IN ANTIQUISSIMA, AC CELEBERRIMA

UNIVERSITATE

VIENNENSI,

Pro conſequendo Doctoratus gradu publice DD. Doctoribus diſquirendam exponit,

BENEDICTUS LEOPOLDUS RHEIN,

Auſtriacus Viennenſis AA. LL. & Philoſophiæ Magiſter, Saluberrimæ Medicinæ Baccalaureus Formatus, & pro Suprema Laurea Candidatus.

Diſputabitur in publico DD. Medicorum Collegio, Die Menſis Auguſti horis poſt meridiem conſuetis Anno M. DCC. XLIX.

Typis Franciſci Andreæ Kirchberger, Univerſitatis Typographi.

DEO
UNI & TRINO,
DIVIS
COSMÆ
ET
DAMIANO,
PROTO-MEDICIS,

NEC NON

TOTIUS REI LITTERARIÆ

MEDICÆ

TUTELARIBUS & PROTECTORIBUS.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

D*Um poſt exantlatos in ſtudio Medico labores ad ſummos tendimus honorum apices, dum lætæ eorum expectamus præmia*, mos & inſtitutum laudabile obtinuit, ut prius ſpecimen quoddam publico eruditorum judicio diſquirendum ſubjiciatur. Hinc nec miraberis L. B. quod Aſthma ille ſit morbus, qui præſenti inſcribitur diſſertationi, ſapientiſſimum etenim Inclytæ Facultatis Medicæ decrevit judicium, ut de eo inauguralis mea tractet diſputatio; pagellas itaque hasce potius obſervantis animi teſſeram, quam conſummatæ argumentum ſcientiæ intuearis velim; non enim eum attingere ſcientiæ gradum, non eam adipiſci experientiæ & judicii certitudinem datum eſt, ut Divi Hippocratis ſacrum valeam evitare effatum, qui Aphor. 1. Sect. 1. ait: *Ars longa, vita brevis, occaſio præceps, experimentum periculoſum, judicium difficile.* Quod dum omnes morbi verum eſſe docent, præſens noſter affectus certiſſimum eſſe confirmat; quis enim judicium facile eſſe credat, ſi cauſas tam diverſas, & occultas eſſe conſideret, ſi morbum hunc tot tam diverſis tamque contrariis ſymptomatibus ſtipatum eſſe

cogatur videre, ut mirum non ſit & experientiam fallere, & judicium incertum erui, cum confirmati in arte practici fateantur, quod affectuum Aſthmaticorum ſigna tantam alant incertitudinem, ut in horum elicienda prognoſi & indicationibus non raro fuerint decepti. Proinde minime cogito hisce paginis nova de Aſthmate in lucem edere principia, verum mihi eſt animus ſolum ea, quæ in variis circa hanc materiam non minus erudite, quam concinne ſcripta ſparſim leguntur, in diſſertationis formam & ordinem redigere. Atque adeo ſpero, fore, ut L. B. eo liberalius parcat, ſi theoretico-practicum de Aſthmate ſyſtema rationi & authoritati innitens minus arrideat. Antequam vero ad materiæ explanationem accedamus, oportet doctrinæ ordinem brevibus declarare, qui in eo verſatur, ut tota diſſertatio in duo dividatur capita, quorum primum organa reſpirationi inſervientia (ſiquidem hæc in morbi hujus genere quam maxime afficiuntur) anatomica methodo deſcripta docebit ad normam Joannis Arculani Veronenſis. Alterum vero Aſthmatis deſcriptionem, diviſionem, cauſas tam immediatas quam mediatas, prædiſponentes & procatharcticas, tandem diagnoſim, & prognoſim, his abſolutis indicationes, & his correſpondentem medellam, ut & quasdam ſcitu non inutiles cautelas practicas exhibebit, quod non ſolum de Aſthmate in genere, ſed de quavis ejus ſpecie in particulari facere conabimur.

CA-

CAPUT I.

De Reſpirationis negotio ad Aſthma tum intelligendum, tum explicandum præſcitu neceſſario.

§. I.

Contraria juxta ſe poſita magis eluceſcere, vetus eſt axioma, & quotidiana confirmatur experientia phyſica æque ac Medica; Sic viſceris labem per oppoſitam ejusdem integritatem, cui contraria exiſtit, & cognitu, & curatu faciliorem reddi quivis experitur, qui circa morbos verſatur, quin imo ipſe Boerhaavius in ſuis aphoriſmis de cognoſcendis & curandis morbis §. 3tio aſſerit: ad integre perfecteque ſtatum morboſum dignoſcendum opus eſſe, ut ejus naturalis conſtitutio ex aſſe intelligatur, quod ſequentibus innuit verbis: qui ergo actionum vitalium, naturalium, atque animalium exercendarum requiſita ignorat, adeoque vitæ cauſas neſcit & ſanitatis, ille defectum illarum, id eſt: morbos cognoſcere non poterit; quocirca præmittimus ad Aſthma tum intelligendum tum explicandum reſpirationis negotium.

§. II. Quod ſolicite inveſtiganti in primo laboris limine ſe offerunt organa reſpirationi inſervientia, quibus adnumeratur fiſtula plus quam ſemi-cartilaginea orbicularis, ſive arteria vi ſtructuræ, & inæqualis ſubſtantiæ aſpera dicta, græce Τραχεῖα, fors cum per eam aër trahatur, quæ eſt canalis quodammodo conicus ex ſegmentis cartilagineis, diverſisque compoſitus membranis, ut & muſcularibus fibris, qui in anteriori & media colli parte ſitus, a faucibus ad pulmones uſque extenſus, voci & reſpirationi inſervit, aſpera hæc arteria, dum pulmones attingit, circa quartam thoracis vertebram pone arcum aortæ bifida ſit, & quælibet in ſuo thoracis cavo recondita, beneque munita jacet, ramus dexter in tres rurſus dividitur ramulos, cum tres ſint lobi, ſiniſter vero ſecundum pulmonum lobos in duos tantum majores, quivis horum ramulorum denuo abit in ſurculos innumeros, qui quo magis verſus folliculos, quibus appenduntur, tendunt, eo teneriores, gracilioresque fiunt, tandemque evaneſcunt, & in ſacculos membranaceos rectius veſiculas mutantur aëreas; habet autem veſicula aërea ſuum ſurculum bronchialem pro libero aëris ingreſſu mirabiliter exſtructum: quod ſi enim ultimum fere ramulum oculis intueamur acutiſſimis, atque cultro anatomico proſequamur, aut quantum

licet flatu diſtendamus, eveniet, ultimas huic adhærentes veſiculas tantum expandi. Ex quo patet falſitas adſtruentium, quod liber aëris ſit acceſſus ex una veſicula in alteram.

§. III. Expoſitam bronchiorum directionem excipit illorum, tum aſperæ arteriæ ſtructura; componuntur iſta ex annulis ſemi-cartilagineis ad orbicularem figuram magis accedentibus, & quo longius a bifurcatione arteriæ diſtant, eo magis in progreſſu attenuantur, & in fine membraneſcunt, in facie enim poſteriori obſervatur aliqualis interruptio horum annulorum, qui circulos repræſentant imperfectos, idque, ut canales hi ſub principio diviſionis aſperæ arteriæ deglutitioni haud obſint, & in progreſſu pro variatione vocis, ingreſſu & expulſione aëris, humorumque ejectione una cum veſiculis conſtringi poſſint, atque dilatari. Taliter aſpera arteria conſtructa & progrediens externe involvitur, ita quidem, ut ſub ingreſſu in thoracis cavum a mediaſtino poſteriori tanquam ſacculo quodam, occurrente ab utroque latere lamina pleuræ cingatur, atque obtegatur, bronchia vero relictis lamellis pleuræ veris externam pulmonum conſtituentibus tunicam mediante ſpuria ſive celluloſa tantum una cum vaſis arterioſo venoſis pulmonum ingrediantur ſubſtantiam, & per illam progrediantur; ſequuntur hancce tunicam glandulæ magnitudinis diverſæ, ſed minores, paucioresque in bronchiis quam in trachea, in principiis tamen bronchiorum hinc inde copioſe diſſeminatæ, figuræ ſubrotundæ & ovalis, earum oſcula in internam hiant tunicæ ſuperficiem, in his fovetur humor unctuoſus, qui ſeparatus mulcendo adjuvat motum, & ne continua in- & exſpiratione exareſcant tubuli, præſervat.

§. IV. Glandulis una cum integumento celluloſo demptis videntur fibræ muſculares & quidem imprimis transverſales cartilaginum extremis inhærentes, quæ æque in bronchiis ac in trachea obſervantur, his intertextæ ſunt longitudinales, ubi primæ extrema cartilaginum ad mutuos contactus trahunt, fiſtulas anguſtiores ſed longiores reddunt, alteræ adducunt cartilagines ad ſe invicem, atque adeo efficiunt aſperam arteriam breviorem, eamque accurtant; accedit denique his involucris tunica interna Ruyſchio nervea, Heiſtero tendinea dicta, illa eſt interius lævigata, nec non ubi glandulæ adjacent, oſculis minimis pertuſa, quæ pro extremis habentur canaliculorum e glandulis provenientium, de origine hujus tunicæ dubitatur, interim plurimis creditur, quod proveniat a cute & cuticula reflexa, quæ, dum fauces ambit, ſupra laryngem in aſperam arteriam & bronchia progreditur, fit ibi tendinea, tandemque in veſiculis finitur pulmonalibus, quæ veſiculæ

pul-

pulmonales nil aliud ſunt, quam fines cœci ramorum bronchialium, ſacculos flexiles apici cujusvis rami adnatos repræſentantes figura ſphærica gaudentes, quam induunt vi aëris ingredientis, qui plicatiles membranulas has cavas æqualiter diſtendit in formam veſicularum.

§. V. Per penſis jam illis, quæ capacitatem pulmonum aëream conſtituunt, in conſpectum veniunt vaſa, quorum unum audit arteria pulmonalis; hæc poſtquam in anteriori & ſuperiori ſeu ſic dicto dextro cordis thalamo orta fuit, oblique aſcendit, pone magnæ arteriæ flexuram ſe abſcondit, & in ſuprema pericardii parte dat notabiles ramos, quorum dexter in pulmonem dextrum ſiniſter in ſiniſtrum abit breviorem aſt capaciorem dextro, hi duo rami comitantur poſtea bronchia, & in totidem dividuntur ramos, in quot abeunt bronchia; vaſa ergo minima arterioſa circa fines reflexa continuitate, canalium mutantur in venulas, quæ in itinere ordine quidem nullo perpetuo bronchiis arteriisque ſe præbent ſocias, interea ſecundum ramos bronchiales in totidem quoque diſpeſcuntur ramificationes, donec circa ultimam diviſionem quatuor præprimis trunci ſacco venæ pulmonalis inſerantur; non multum abſimili decurſu repit altera arteria bronchialis, quoniam ſupra bronchiorum anticam ſerpit partem, illaque ad finem usque concomitatur, originem hæc ducit ut plurimum ex arcu aortæ, quæ ubi ad tracheam in loco, quo bifida eſt, accedit, bronchiis eorumque ramis ſe adjungit, datisque ad glandulas bronchiales ſurculis tenuiſſimis in anteriori fiſtularum facie ſerpentino hinc inde excurrit tractu ad minimas usque veſciculas, quas, cum attigerit, intermeat illas, & vel extremis arteriis unitur, vel ſurculos propriæ venæ ingreditur, ex quo patet, jam fieri arteriæ bronchialis mediantibus ramulis cum pulmonalibus minimis anaſtomoſin, jam in propriam terminari venam: fit enim vena bronchialis ex arteriolis reflexis in unum abeuntibus canalem conum repræſentantem inverſum, qui ſimiliter ac arteria bronchialis bronchia ad locum usque inſertionis comitatur, & ut plurimum in venam azygos, hæc in venam cavam ſuperiorem implantatur. Eſſet jam ut utriusque hujus arteriæ ita ſituatæ uſum evincam atque utilitatem quam latiſſimam, ſed ſufficiant hæc de ſtructura tracheæ ac pulmonum dicta, & potius nos convertamus ad reliqua organa reſpirationi ſervientia.

§. VI. Inter quæ invenitur diaphragma, quod eſt pars ampla, muſculoſa, robuſta, abdomen transverſe a thorace diſtinquens, cujus pars ſuperior convexa, inferior concava, a coſtis ſpuriis nempe earum

crate

crate & cartilagine xyphoidea carnea oritur, tendineque ſuo centrum diaphragmatis nervoſum fere triangulare conficit, inferior vero duplici ſurgit principio, utrinque ex lumborum vertebris & vix non in centrum ſuperioris inſeritur, ſolent in hoc duo foramina magna notari, primum in ſiniſtro latere carneum pro gulæ tranſitu, alterum in dextro pro cava, habet ſua vaſa propria ut & nervos; hoc diaphragma ita conſtitutum eſſe debet, ut ex ſitu convexo & ſinuoſo, quem habet extra reſpirationem, facile deduci queat in figuram magis planam verſus inferiora, quam figuræ mutationem pendere a contractione muſculoſæ fabricæ in ſepto hoc docet contemplatio ejus anatomica; neque eam perficeret ſolum diaphragma, niſi accederet motus coſtarum, qui certe plurimum juvatur a muſculis intercoſtalibus, qui dividuntur in in- & externos, hi oriuntur ex inferiori margine coſtæ ſuperioris, oblique deſcendunt antrorſum, & inſeruntur margini ſuperiori coſtæ infra ſequentis: illi ex margine inferiori coſtæ ſuperioris orti ad diſtantiam a lateribus ſpinæ thoracis oblique deſcendentes retrorſum priores ſecant, & inſeruntur margini ſuperiori coſtæ infra ſequentis ita Boerhaav. §. 613. his itaque muſculis intercoſtalibus atque ſubclaviis agentibus fiet, ut coſtæ ex utraque parte ſurſum & antrorſum eleventur, atque adeo capacitas thoracis augebitur, quo facto eo proniores pulmones redduntur ad aërem capiendum.

§. VII. Atque poſtquam ſufficienter, ut ſpero, contemplati ſumus reſpirationis organa, jure materiam, quam inſpiramus, ſcrutabimur, nec quid aliud ſub hac intelligimus, quam corpus illud elaſticum aërem dictum, & quoniam a Boerhaavio §. 1032. ſanitati tuendæ optimus pronuntiatur iſte, qui eſt ſerenus, gravis, temperate calidus & ſiccus a mediterraneis puris nec non a fluminibus ſpirans, leni agitatus vento, ſubitarum & magnarum mutationum expers, apricus & ruralis, ab exhalationibus ⊖nis ♂ſisque defœcatus, idem jam deſcriptus egregie quoque patrocinabitur reſpirationi; fateor eſſe innumera ad naturam aëris pertinentia, quorum mentio adhuc facienda foret, verum ne phyſiologicum nimis excreſcat, phyſicis hæc deſcribenda relinquimus, & reſpirationem expediemus.

§. VIII. Quæ eſt actio vitalis, qua mediante priori §. deſcriptus aër fluidus, elaſticus, gravis &c. pulmones intrat, eosque exit, nec difficile eſt conceptu, quomodo id contingat, ſi §vi. Prægreſſi accuratius non nihil inſpiciantur, atque cujuſcunque organi reſpiratorii natura, ſtructura, ac officium conſideretur, quæ adeo comparata ſunt, ut non tantum eam thoracis capacitatem adaugeant, quæ requiritur, ut aer

in-

intrare queat, ſed & eandem minuere valeant, ut idem exire cogatur, & quemadmodum exploſo aëre vix non totus collabitur pulmo, ita glottide in tracheam, & bronchia admiſſus hos tubos inflat, tum ramos veſiculasque, orbicularis amplitudo, & fiſtularum longitudo augebitur, rami aſſurgent in majores angulos, lobi erigentur, veſiculæ ex planiori per complicationem figura in rotundiorem extendentur, hinc ſpatia inter cartilaginea ſegmenta, ramos, veſiculas augebuntur, puncta contactuum minuentur, atque omnia reliqua evenient, quæ ulterius Boerhaavius §. 197. deſcribit. Ex quibus præmiſſis inſigne nobis concipere poſſumus emolumentum, imo abſolutam reſpirationis ad vitam conſervandam neceſſitatem; quippe circulus ſanguinis & humorum ipſam reſpirationem reſpicit, qualem frequentiorem redditam, velocior ſequi ſolet eorum motus, imminutam tardior, ea penitus abolita omnis quieſcit rubicundi laticis atque reliquorum humorum circulus. Proinde non miremur Boerhaavii §. 200, in quo tot & tanti deſcribuntur effectus unice a libera reſpiratione repetendi; ſed abſtineamus ab his & videamus potius, quomodo ex varie vitiatis organis reſpiratoriis ille præprimis emergat morbus, qui mihi ſub nomine aſthmatis venit, de quo prolixius aget.

CAPUT II.

De Aſthmate, ejusque medendi methodo.

§. IX.

AFfectus ille, de quo ſolicitus ero, generatim aſthma vocatur, quæ vox ſecundum etymologiam derivatur ab ἀσθμάζω anhelo, quod verbum ſatis apte hunc morbum exprimit, ac revelat, quia ægri aſthmate correpti anhelare, & difficulter reſpirare ſolent, intelligo autem ſub aſthmatis nomine morbum, quo ægri non niſi difficulter & ſæpe ſenſu ſibili, aut roncho ſpirare poſſunt, cum anxietatibus circa præcordia, ut anxioſi neſciant, quo ſe vertant, levamen percepturi, tuſſi interdum crebra & moleſta, interdum mitiori, ſubſequente jam copioſa, jam modica, jam denique nulla materiæ rejectione, ex quibus phœnomenis intelligitur organa reſpirationis, & ſpeciatim ac potiſſimum pulmones affectos eſſe, ita ut non tantum locus affectus in arte perito ex nuda fere denominatione jam innoteſcat, ſed etiam ipſe morbus facile cognoſcatur.

§. X. Eſt itaque aſthma ſpecies reſpirationis læſæ, quarum tres potiſſimum veteres græci a morbi gradu deſumptas ſtatuerunt; prima harum audit dyſpnœa, a græco δυσ difficulter, & πνέω ſpiro, quæ generatim quamvis ſpirandi difficultatem, ſpeciatim tamen leviorem quemdam gradum indicat, altera proprie aſthma vocatur, ubi ægri difficilius, & non niſi cum ſono ſtertoroſo reſpirare poſſunt, tertia orthopnœa ab ὀρθὸσ rectus, & πνέω ſpiro ortum ducit, quando ſcilicet ægri ex ſumma ſpirandi difficultate non niſi capite, & pectore erectis ſpirare queunt; nec deſunt neoterici, qui harum mentionem faciunt, ſingulas tamen ad aſthma reducunt, quod ulterius in idiopathicum, & ſymptomaticum diſpeſcitur, quorum primum ita comparatum eſt, ut ſedem ſuam in ipſis organis reſpirationi inſervientibus figat, nec opus habeat, ut ab alia parte his vicina, & cum iisdem conſenſum alente eo affligatur, quale quid in ſecundo contingit, ad quod referri ſolent aſthmata ſtomachica, hypochondriaca, hydropica, &c. de quibus in præſenti haud agam, verum primum in conſiderationem traham, & quidem prout in humidum, ſiccum & ſpasmodico-convulſivum dividitur, multum inter ſe diverſa non ſolum propterea, quod jam periodice, jam vage decurrere, jam de die, jam noctu excruciare obſerventur, ſed ratione cauſarum illa producentium.

§. XI. Inter quas prima eſt illa immediata & proxima, quæ tam arcto cum morbo connectitur connubio, ut hac poſita morbus ponatur, hac vero ablata omnis quoque morbi evaneſcat ſuſpicio, & quoniam in aſthmatis cujuscunque curatione eo ſemper boni adnituntur practici, ut aëris reſtituatur facilis & interruptus ad pulmones aditus & ex his ejusdem reditus, merito cauſam immediatam deducimus ab inſufficiente, hinc plus minus deficiente aëris admiſſione & reciprocatione, quæ inſigniter impeditæ reſpirationem valdopere turbant, anxietates imprimis, & præcordiorum anguſtias; inde ſi non ſuffocationem ipſam, ſaltem ejusdem periculum ſatagent moliri. Sive id contingat pulmonum, ſive muſculorum intercoſtalium, ſeu aliarum partium ad reſpirationem concurrentium vitio, ſemper manebit verum, quod quilibet inſultus aſthmaticus deſcriptam agnoſcat cauſam immediatam. Quæ ut ut ſit immediatum hujus mali productivum, nunquam tamen ſola exiſtit, nec per ſe, ſed alia ſemper & alia hanc præcedat cauſa, neceſſe eſt, quam nuncupamus mediatam eamque materialem, differentis certe naturæ; ſiquidem conſtanti obſervatur lege, quod aſthma humidum congeſtio quædam in pulmonibus a ſanguine viſcoſo genita

nita antecedat, qua præſente multum ibi phlegmatis deponitur, quo fit, ut pulmo infarctus, veſiculæque aëreæ materia viſcida alioquin occupatæ ulteriorem pro aëre ingrediendo dilatationem recuſent, proin nec opus habeant ſui conſtrictione difficulter peragenda; ex quibus minime arduum erit, cauſam eruere mediatam.

§. XII. Aliter contingit in ſicco, quidquid enim ſub cenſu acris, & veſiculas contrahere potentis venit, id omne aptum natum eſt ad cauſam mediatam hujus mali conſtituendam, neque omnimode excludere oportet ipſum ſanguinem congeſtum præprimis illius indolis, qui non tam abundat viſcoſo, ſed potius jam principio ▽ſtri, jam huic contrariante volatili, jam denique auſtero, quale invenitur in melancholicis, cholericis, & ſcorbuticis. Nec neceſſe eſt novam excogitare mediatam aſthmatis ſpaſmodico-convulſivi, ſed prior ſufficiens eſt ad hujus productionem, modo præter pulmones ipſos quoque muſculos intercoſtales aggrediatur, eosque irritando ſpaſtice ita afficiat, ut fibræ iſtorum adeo contrahantur, & infarciantur, quo minus deſcriptum §. 6. motum peragere poſſint: dependet ergo cauſa immediata a mediata, ut demonſtravimus, unde iſta? Dicemus; quidquid enim in corpore ut cauſa mediata exiſtit, ſucceſſive generatur, atque ad eam ſuſcipiendam corpus noſtrum lente diſponitur, debent itaque mediatam prægredi cauſæ prædiſponentes tum internæ, tum externæ atque procatharcticæ, quales innumeræ ſunt ordine enumerandæ.

§. XIII. Aſthma humidum fibras deſiderare plus ſolito laxiores patet ex eo, quod easdem petat generatio viſcoſi in aſthmate humido plerumque peccantis; confirmat id ratio & experientia: in fibra ſcilicet laxa filamenta minus inter ſe cohærent, nec tantum ad ſe invicem accedendi niſum poſſident, quia plus humidi in earum interſtitiis laxitatem inducentis remorari autopſia comprobat, ex quo conjiciendum, quod nec tanta vis in contractionibus, hinc non tam validus, ſed ſegnior motus, non tantus in liquida impulſus, & preſſio, non tanta humorum expulſio, minor ſubactio, conquaſſatio, & commiſtio, in majores ſolummodo moleculas diviſio, ut adeo viſcidum fibræ debili proprium evadat; quidquid itaque producere ſolet fibram pulmonum laxam, cauſa prædiſponens aſthmatis humidi erit nuncupandum; qualem retinent omnes illi, qui ſunt temperamenti phlegmatici, vitam ſedentariam agentes, obeſi, ſenes, alias catarrhalibus & mucoſis affectibus obnoxii, juniores ſucculenti; nec minus prædiſponuntur ii, quibus ſcabies aut capitis exanthemata retropulſa erant, viri & ſequio-

ris ſexus perſonæ, quibus hæmorrhoidum, aut tributi lunaris negotium non rite procedit, venerei male curati, hypochondriaci aut hyſtericæ, qui frequentes ad pectus congeſtiones paſſi ſunt, quorum victus ratio in diæta lauta, viſcoſa conſiſtebat, qui diu mœrore aut animi pathematibus triſtibus detenti erant, qui ſomnum adeo protraxerunt, ut dies verterent in noctes, qui in aëre frigido & humido perlibenter verſabantur &c.

§. XIV Et quanquam illi, qui ſunt habitus ſtrictioris, non adeo frequenter aſthmate infeſtentur humido, affliguntur tamen ſicco; in his etenim fibræ obſervantur rigidiores, qubus mediantibus liquida in remotiſſimas impelluntur partes, latera vaſorum arctius, & majori impetu ad ſe invicem accedunt, hinc fluida nimis fortiter conquaſſantur, debito plus reſolvuntur, liquidiora vero blandiora ſuo motu conſummuntur, & diſpenſantur, atque adeo humores mirum in modum exaltantur, ut non mirum ſit, quod acres, volatiles & alcalini evadant, præprimis ſi accedat ætas juvenilis, & prima hujus virilis, nec non ſenilis, diæta lauta, [illegible]uoſa, aromatica, motus nimius, vigiliæ immodicæ, aër calido ſiccus, plethora, evacuationes ſanguinis tum ab arte tum a natura inſtitutæ, aſt omiſſæ vel vi cohibitæ. Neque hactenus dicta omne genus cauſarum prædiſponentium, & procatharcticarum aſthmatis ſicci abſolvunt, ſed ad id quoque diſponuntur, qui ſæpius congeſtiones ad pectus paſſi ſunt, qui in tuſſiculoſis affectibus male tractati fuerunt, qui nodos, ſcirrhos in pulmonibus abſconditos habent; hypochondriaci, & ſcirrho viſcerum, aut alia labe laborantes, lapidicidæ ob multum ad pulmones delatum pulverem lapidarem & calcareum, qui halitus mercuriales, arſenicales, ſaturninos &c. in pulmones receperunt, quibus ſcabies imprimis ſicca & ferina, aut ſimilia circa caput oborta impetiginoſa inquinamenta retropulſa erant, quibus reliquiæ variolarum aut morbillorum remanſerunt, quibus ſpina dorſi, aut ſternum, aut coſtæ male ſunt conformatæ; hæ cauſæ prædiſponentes, ſingulæ vel pauciores concurrentes ut ad aſthma ſiccum, ita ſimul muſculos intercoſtales occupantes expeditæ erunt ad aſthma quoque ſpasmodico convulſivum progenerandum; præprimis ſi his accedant homines ſcarificationibus aſſueti eas negligentes, arthritico, podagrico, rheumatico dolore ſæpius detenti, & per repellentia male curati &c. Atque hæ erunt potiſſimum cauſæ occaſionales prædiſponentes tum procatharcticæ, aſthma hoc triplex inducentes: neque ſufficit medico has noſſe cauſas ad feliciter peragendam curam, ſed requiritur inſuper,

ut

ut morbum noſtrum ejusque ſpecies probe a ſe invicem dignoſcat, quod indicabunt ſigna diagnoſtica.

§. XV. Signa aſthma indicantia generalia ſequentia ab Aretæo lib. 3. cap. XI. juxta Frider. Hoffman. tom. 4to pag. 147. deſcribuntur, gravitas pectoris, tarditas ad opus ſolitum, & ad aliud quodlibet gerendum, in curſu aut in acclivi itinere difficilis & ægra ſpiratio, rauceſſcunt, aut tuſſiunt, flatus in præcordiis atque eructationes præter rationem excitantur, vigilant, noctuque parum & obſcure incaleſcunt, nares acutas ad ſpirationem paratas habent, ſi malum in pejus ruat, malæ rubent, oculi prominent, velut in his, qui ſtrangulantur, ſtertunt, dum vigilant, multo magis cum dormiunt, humida, obſcura, ſonoque carens vox eſt, multum & frigidum aërem cupiunt, erecti ſpirant, ipſorum facies jam pallida eſt, jam rubet, ſudor circa frontem & jugula emanat, aſſidua vel aſpera vel glangoſa tuſſis infeſtat, rejiciuntur multa viſcida aut purulenta, jam pauca tenuia veluti quædam ſpumæ effloreſcentia, inflante ſpiritu collum intumeſcit, præcordia revulſa ſunt, arteriarum pulſus parvi, crebri, aut depreſſi.

§. XVI. Ex quibus licet argumentari ad quamvis aſthmatis ſpeciem in particulari; & quidem aſthma humidum habet præter reſpirationem laborioſam & frequentem, anxietates præcordiorum &c. illud ſibi proprium, quod adſit ſonitus ſive ſibilus perpetuus ſtertoroſus ex profundo procedens tam in inſpiratione quam in exſpiratione, tuſſis humida, a qua tamen, licet mucoſa, tenax quædam materia rejiciatur, plane non ſublevatur, niſi in majori ſuccedat quantitate, ab eaque vel maxime ſuam trahat originem, præterea hæc ſymptomata continuo durant ſine notabili remiſſione, tempore pluvioſo, & frigido ſolet invadere, & ingraveſcere; majorem his lucem accendent ſigna petita a cauſis prædiſponentibus §. XIII deſcriptis; alit hic affectus magnam affinitatem cum tuſſi humida, a qua tamen diſtinquitur ratione invadendi modi, & quod difficiliori longe excrucientur reſpirandi difficultate aſthmatici, quam humide tuſſientes, addo, quod his nullus ſit ſonitus, aut ſibilus, plus etiam materiæ rejiciatur ab his quam ab illis; nec confundendum eſt cum ſtomachali, in quo ſemper hæret aliquod vitium in primis viis per propria ſigna ſe manifeſtans: ſolet namque id vel maxime exacerbari poſt paſtum, cum tuſſi ferina vomitum & rejectionem aſſumptorum excitante, hinc a dato vomitorio levamen iis ſuppeditatur.

§. XVII. Reſtat ut ſigna ponamus ſicci, cujus ſequentia Etmillerus adducit tom 2. pag. 378. inquiens: aſthmata ſicca ex eo fere ſe pro-

dere, quod ſint continua, ſed interdum plane intermittentia & paroxyſmatim repetentia, ita quidem, ut ſubito inchoent, hinc etiam ſubito ceſſent, ſine ullo fomitis materialis vel præſentis vel antecedentis veſtigio, aut manifeſta rejectione (quæ verba bene debent intelligi). Ex improviſo enim pergit Author præfatus, irruit in ægros alias optime reſpirantes, atque evaneſcit citra ſenſile reſpirationis nocumentum, ut ut debiles admodum ægri eſſe ſoleant; addit quoque hæc verba: ſaltem difficile eſſe hariolari, ubi lateat fomes, & fermentum, ſeu ſpina nervos hoſtili ſua præſentia irritans, & ad ſpasmos provocans; porro aſſerit: nullum humorem, ſtertorem nullum, nullam tuſſim (quod non ſemper ita contingit, imo ſi ex nulla alia cauſa certe ab aëre pulmones ingredi conante ſed non potente tuſſis ſequeretur) nullam denique humoris excreationem adeſſe, ut ut ſubinde ſonitus, es pfeiffet, exaudiatur, quod ſi tamen aliquid excernatur, hoc fit in fine, & parum eſt, duo vel tria ſputa & non amplius; hæc ſunt, quæ morbo præſente contingunt: deſumuntur tamen ſigna a prægreſſis, ut §. 14. legenda ſe offerunt. Non multum his abſimiles fovet characteres aſthma ſpasmodico convulſivum, ſiquidem derepente invadit cum oppreſſione totius thoracis, ſubſequitur impedita & brevis reſpiratio cum membrorum, & totius fere corporis inſigni laſſitudine, vaſa temporum inflantur, facies rubeſcit, concurrit non raro palpitatio cordis, nec non ſpaſtica circa ſcapulas conſtrictio, alvus ut plurimum adſtricta, [U]a in minori fluit copia, durat hoc malum per aliquot horas, ſæpius tamen recurrit, & certas format periodos.

§. XVIII. Ordinis jam ratio poſtulat, ut prognoſim inſtituamus, a qua bene vel male elicita cum fama medentis dependeat, caute procedendum, & ſecundum morbi, ejusque cauſarum ac ſymptomatum gravitatem erit prognoſticandum. Id in genere de aſthmate humido & ſicco valet verificari, quod utrumque ſit malum admodum chronicum ac pertinax, ita ut non raro ad plures annos ſe extendat, quod ſi ſimul labes viſcerum ſcirrhoſa conjuncta ſit, ſi non incurabile, curatu certe difficillimum evadit: ſpasmodico vero convulſivum præ reliquis magis periculoſum, attamen facilius curatur recens, difficilius inveteratum, præprimis impeditur curatio, ſi pulmones antea per frequentiores congeſtiones, aut alios affectus debilitati fuerint, nec non, quo majori impetu & vehementiori invadit, eo periculoſius eſſe, & brevi quandoque jugulare ſolet ægrotos, cæterum ſi materia in bronchiis hærens acrimoniam concipiat, pulmonum exulcerationem ſeu phtyſin poſt ſe trahit; aſthma hæreditarium nunquam vel rarisſine amovetur;

ſca-

a ſcabie retropulſa exortum ſuffocationem minatur, & actu eadem ſuccedere obſervatur. Non multum quoque boni promitti poteſt illis, qui ex miasmate venereo eo decumbunt, raro enim integre reſtituuntur, niſi ablata cauſa, quæ difficulter abigitur, ſi ſemel ſpicula venerea partibus membranaceo nervoſis ſe inſinuaverint, vel totum corpus coinquinaverint; peſſimi identidem ominis eſt, ſi materia arthritica, podagrica &c. ad pulmones retropulſa hoc malum creaverit; *moriuntur* quoque: inquit hippocrates: ſect. 6. aphor. 46. *qui gippi ex aſthmate fiunt, & quidem ante pubertatem*; quo magis attollitur pectus cum ſcapulis, eo periculoſior eſt ſtatus, quod contingit, ſi aſthma excipiat orthopnoea plerumque funeſta, idem præſagitur iis, quibus ſuccedit cachexica, tumores pedum ædoematoſi, & hydrops. quæ ſingula hactenus recenſita parum ſpei pollicentur, major tamen affulget, ſi aſthmati jungatur tuſſis crebra cum multa materiæ viſcidæ rejectione, ſi tales ſuperveniant excretiones, quales antea ſuppreſſæ erant, & ab his ortum fuerit.

§. XIX. Nunc ad curam, quæ ut rite inſtituatur, ſecundum indicationes incedendum, quales deſumuntur a morbo, ejusdem cauſis, tum denique a ſymptomatibus; clare itaque patet, quantum utilitatis adferat hiſtoria morbi accurate conſcripta, quis enim, quæſo, tuto proſpicere poterit morbo, ſi non omnimodam poſſideat omnis generis cauſarum & ſymptomatum notitiam, quam ſuggeret ſolicite ac integre conquiſita morbi hiſtoria, quod præſens affectus uberius docebit, in quo, cum ſemper deprehendamus reſpirationem eſſe plus minus læſam, eo generalis dirigenda erit indicatio, ut hæc liberrima procuretur, quæ cum varie & a diverſiſſimis cauſis turbari queat, ut §. 11. 12. 13. & 14. diximus, ſecundum easdem medela inſtituetur, & quoniam ipſum aſthma triplex ſtatuerimus ratione cauſarum diverſum, trifariam quoque adnectemus curam ubique formatis novis indicationibus conformem, ita quidem, ut in aſthmate humido primo omnium congeſtioni §. 11. deſcriptæ amovendæ inſiſtamus, dein ipſi craſi humorum viscoſæ ſuccurrere ſtudeamus, quod fiet, ſi ejusdem qualitatem invertamus, aptam ad evacuationem per convenientes vias reddendo, cum *non cruda, ſed cocta* Hippocrates e *corpore educi* jubeat, ulteriorem vero humorum tum in quanto, tum in quali peccantium affluxum impediamus, ſymptomatum & reliquarum cauſarum rationem habeamus, neceſſe erit, poſtremo tandem, cum hic affectus ſæpius repetere moliatur, e re erit, ut ejusdem recidiva præcaveatur, partibus debitum tonum & robur reconciliando.

§. XX.

§. XX. Dum ergo ſanguis majori copia ad pulmones ruit, eos infarciendo, vel ex cauſa, quod plethora adſit, vel quod excretiones variæ ſuppreſſæ ſint, eum per debita loca evacuare oportet, inſtituendo primo phlebotomiam in brachio, dein pro rei exigentia revocandarum evacuationum ſuppreſſarum gratia in pede; aſt id fieri debet mature. Et cum vix non ſemper ſanguinis motui congeſtorio aſſociata ſit ejusdem qualitas permodum tenax & viſcida, eadem probe reſolvenda & incidenda, vel per gummatoſa, ut gummi ✱ per ſe, aut cum ✱ ſquillitico ſolutum, myrrha, olibanum, & ex his compoſita, ſpec. diaolib. ☿ pector. reſolv. Wedell. nec minus per radices incidentes ut Rad. vincetox. enul. campan. aron. præparat. cujus continuatus uſus etiam in majori doſi a Nentero perquam laudatur, non levem quoque ſpondent efficaciam millepedes vel per ſe, vel in infuſo propinati, ut & ſquilla, & ex his præparata, qualia ſunt oxym. ſquillit. looch. de ſquill. &c. Sunt, qui extollunt ipſum ♎rum ⊖is ✱cum præprimis Aniſatum, qui uti reliqua debito ordine propinata non tantum potentia incidere & attenuare ipſam materiam, verum inſimul evacuare, adeo enim potenter reſolvunt humores, ut ſic reſoluti in pulmonibus partes nervoſas irritent, irritatæ convulſivo ſuo, ut ita dicam, motu hæc per ſcreatum rejiciant, nec minus præſcripta remedia, cum jam alvum moveant, jam diureſim adaugeant, per easdem vias humorem peccantem evacuabunt.

§. XXI. Si vero materia minus ſufficienter per dictas vias evacuata videatur, poterunt tum ratione hujus, tum ut affluxus ulterior impediatur, ordinari Pilul. de ammon, vel ♁reæ Schrœd, vel potio aliqua pectoralis laxans, ex ſpec. decoct. pector. cum Fol. S. S. S. agar. trochis. Rhabarb. elect. rad. polypod. quer. decoctione peracta collaturæ addi poterit vel man. elect. vel pulp. Tamar. edulcorando Syrup. roſar. ſolut. nec ingrata reddetur, ſi addatur parum de ▽a aſthmat. diſpenſat. vienn. Hæc tam diu continuentur, donec omne fuerit ſubactum atque evacuatum, eo dein curam dirigendo, ut partes roborentur, quod impetrari poterit per continuatum aliquantiſper uſum TRæ ♂ii aniſat. balſam ♀ris aniſat. vel therebintinatum, quorum repetita exhibitione ſanguinis maſſa emendari, lymphæ vitium plurimum corrigi, obſtructos pulmonum tubulos & vaſorum lymphaticorum reſerari, ac ubique viſcidum infringi felicior uſus comprobabit; his non inferiores deprædicantur Pil. balſam. Mortan. Si hæc omnia eludat rebelle malum, altioresque egerit radices, aut ſæpius recurrat, calcu-

lum

lum ſuum adjicient thermæ vel Carolinæ, item acidulæ Roitſchenſes; denique aëris mutatio, vectiones, equitationes ſi non levamen, certe ſolatium afferent; quæ ſingula pro cauſarum exigentia, ac ſubjecti diverſitate ex judicio diſcreti Medici ordinanda relinquimus.

§. XXII. Nec obliviſci oportet aſthmatis humidi ex retropulſa ſcabie oriundi, quo in affectu adlaborare oportet, ut retropulſa ſcabies ad peripheriam denuo deducatur, quod perficient diaphoretica cum reſolventibus mixta, qualia ſunt ceruſſ. ʒ ii. Flor. & lac ♁ris. bezoard. miner. ℥. deſuper bibendo theiforme ex ſcabios. veron. beccabung. Saſſafr. Saſſaparill. Rad. chin. nodos &c. expectando ſudorem; his incaſſum adhibitis ad veſicantia, fonticulos, balnea &c. confugiendum erit, quæ haud optatum negabunt effectum: interim tamen non excludere oportet, ſicuti in nullo, ita nec in hoc aſthmate venæſectionem, verum in principio; ſi eadem indicetur, adhibenda. Non infrequenter quoque venereis male curatis idem ſuccedit malum, licet ſiccum magis eos infeſtet; hi ſi ſaneſcere cupiant, tractandi ſunt, ut morbi exigunt venerei. De quibus hic non agam, id addo, mercurialium nunquam obliviſcendum eſſe. Ultimo noſtris humido aſthmate decumbentibus ſerio inculco, quod ſi velint ab hoc liberari, & in poſterum incolumes ab eo vivere, debitam obſervent diætam, tum tempore, quo decumbunt, tum debellato morbo, quare eant mecum fontem luſtraturi diæteticum.

§. XXIII. Æger ab aëris frigidioris, humidioris, ac nebuloſi injuriis ſit munitus, ſed potius ſtudeat Medicus, ut in cubiculo temperato, alto, ſalubri omnino ſervetur, aëre vero temperato, verno, æſtivo, imo & autumnali, ut ſæpe moderato ambulationibus, equitationibus, vectionibus corpus exerceatur. In cibo, & potu, cum & qualitas & quantitas nocere poſſit, omnes cibi viſcidi, glutinoſi, duri, craſſi ac difficulter digerendi, carnes ſuillæ, pinguia, carnes fumo induratæ, farinoſa, glutinoſa evitentur, utantur potius juſculis bono chylo fere ſimilibus, herbis & radicibus aperientibus, ut apii, petroſelini, aſparagi, cichorii, aut ſcorzoneræ impraegnatis, itemque carnibus mollibus juniorum & teneriorum animalium: ut pullorum, gallinarum, avium minorum, verumtamen ut modice iis utantur, & nunquam etiam vel molliſſimis ventriculum nimium repleant, & onerent, quia inde cruditates viſcidæ generantur, præſertim ventriculo exiſtente debili & non bene digerente; potum aſſumant purum ac tenuiſſimum, utpote qui humores viſcidos in hoc malo ut plurimum peccantes optime di-

luere, ſolvere, fluidioresque reddere poteſt, hinc ſuadendum, ut pro potu ordinario in paſtu utantur aqua quadam puriſſima, cum melius ac potentius diluens vix detur, attamen ſi ventriculus ob debilitatem eam ſine incommodo ferre non poſſit, pauxillum vini diuretici, præſertim Rhenani aut Moſelani veteris, vel denique Auſtriaci probe defœcati ipſi admiſceri vel interponi poterit; nec contrarius ſum, ſi loco aquæ ſimplicis ptiſana magis arrideat ægro, apte ejusmodi hic conveniens fieri poſſet, aut paretur ex rad. chin. ſcorzoner. ſantal. citrin. ligno. Motus, quies, & ſomnus pariter ordine, ac decenter ſunt inſtituenda, ita ut exacta mediocritas quovis modo obſervetur, ne corpus nimio motu defatigetur, nec nimia quiete torpeat, & humores viſcidos ſibi conciliet, nimiæ vigiliæ, & præſertim lucubrationes in ſeram noctem protractæ coctiones lædunt, ac cruditates inducunt; ita etiam animi pathematibus, præſertim mœrori & triſtitiæ non nimium indulgeatur, quia hæc ſanguinem inſpiſſant: ſed multo magis, ut æger animi tranquillitatis ſemper & ubique ſtudioſus ſit, erit conſultum.

§. XXIV. Et quanquam hactenus recenſita remedia, ut & diæta præſcripta, ſi debite applicentur, haud ſuo fruſtrentur effectu, ea tamen ordine perverſo introſumpta plus damni, quam emolumenti afferunt; ſunt ergo quædam cautelæ circa eorum uſum ſervandæ. Sic ſi quis aſthma humidum mox in principio exſtirpare velit, incidentibus potentioribus, qualia ſunt diuretica ſimul, atque diaphoretica, certe illud efficeret, ut ſublata ſeri portione ſubtiliore, relictæ craſſiores & mucidæ curationem redderent difficiliorem, imo ex applicatione ſimilium diaphoreticorum, & nimis calidorum affectus noſter facili negotio ex humido tranſiret in ſiccum gravioris longe ac ancipitis curationis. Vel quod pejoris conditionis eſſet, cum vitæ diſpendio in inflammationem incideret, quare hæc ſubſtituantur lenioribus aliquantulum uſurpatis, niſi quis velit per ſimilia diaphoretica fortiora paroxyſmo durante humores nimium commovere, reſpirandi difficultatem augere, & ſuffocationem accelerare. Quid porro ſentiendum ſit de vomitoriis, docent morbi circumſtantiæ eadem interdum deſiderantes, jam ſumme reſpuentes, præprimis ubi reſpiratio orthopnœica, materia copioſa inconcocta, viſcida in pulmonibus hæret. Abſtineat in tali caſu ab his Medicus, & inſiſtat blandis incidentibus, & evacuantibus aſt per tutiores vias, non tamen fidat expectorantibus diutius protractis, cum nimium ſoleant emollire pulmones, ulteriorem ad pectus invitare decubitum cum metu exulcerationis. Tranſimus jam ſicce anhelantibus ſubventuri.

§. XXV. Quorum qui ſpaſmodicas pectoris, atque partium ſpirationi miniſtrantium ſtructuras ſopire, humores ad externum corporis habitum, infernasque partes derivare, eorum circulum æquabilem reddere, tum ultimo cauſarum, quæ malum fovent, remotioni ſtuduerit, is ſecundum Fridericum Hoffmannum aſthmatis ſicci, atque ſpaſmodico-convulſivi curam inſtituet: apud quem inter ſpaſticam ſtricturam relaxantia varia leguntur antiſpaſmodica, & quidem abſorbentia, emulſiva, infuſa, diluentia; primi generis ſunt ▽æ analepticæ, Flor. til. pœon. acac. ulmar. ☿es march. Epilept. de guttet. ☿. ⊕ ipſum, ~us ⊕tri dulc. liq. anod. miner. inter emulſiva continentur, ſem. 4. frigid. maj. papaver. infuſum ingrediuntur herb. heder ▽ſtr. veron. ſcabioſ. flor. papav. Rhœad. violar. &c. Secunda indicatio petit, ut humores ad externum corporis habitum deriventur, quod præſtabunt ipſi clyſteres emollientes & ſimul carminativi, ex Flor. mellilot. Sambuc. verbaſ. poeon. lil. alb. chamæmell. vulg. ſem. 4. carminat. ☍ chamomill. coct. & una alterave ⊖is communis vel gemm. drachma ſtimuli loco addita confecti; venæſectiones tum in brachio, tum in pede inſtitutæ; deinceps incredibilem virtutem exſerunt pedum (qui tantum non ſemper frigidi obſervantur) frictiones, eorumque in aquam tepidam demiſſiones; atque hæc ſunt generaliora, quæ in aſthmate tum ſicco, tum ſpaſmodico-convulſivo præprimis paroxyſmo ingruente uſurpantur, ſequitur tertia indicatio.

§. XXVI. Cui, ut ſatisfiat, cauſæ, quæ malum fovent, exſtirpari debent, quod ſi igitur ſanguinis nimia verſus pectus congeſtio hoc malum induxerit, aut a ſuppreſſis hæmorrhoidibus ortum traxerit, venæſectio in pede, aut hirundines venis ſedalibus applicandæ ſunt: aliter procedendum, quando a materia arthritica, podagrica, ſcabioſa, purpuracea, ulceroſa intra corpus retrocedente, ac repulſa ſuos ducit natales, ubi nempe humor acer, cauſticus ad nervoſas pectoris partes translocatur, is blandis diaphoreticis, ac liberam perſpirationem promoventibus denuo ad peripheriam relegandus eſt, cui ſcopo cum præſentiſſimo commodo ſatisfacere a Friderico Hoffmanno adſtruitur liq. anod. miner. cum ~u bezoard. Buſſ. mixtus, aut ☿ aliquis bezoardicus ex ♁io diaphoretico, ſuccino, marchion, ⊕tro, & momento camphoræ compoſitus, deſuper bibendo aliquod vaſcula infuſi theiformis ſuperius præſcripti, nec negligenda ſunt præparata ex ♃e apprime in ſcabie retropulſa, aut ulceribus retroactis, utpote quæ interne data tonum partium roborant, diſſlationem & perſpirationem heterogeneæ materiæ

adjuvant; non tamen ea ſemper, & promiſcue in omnibus ſubjectis propinanda, verum cum Medicus naturæ miniſtrum repræſentet, obſervet, quo natura tendat, atque eo ducenda: ita ſi natura exitum moliatur per inferiora, appropriatis ſuccurrat alvum ducentibus, ſi opus diureticis, juvabit noſſe virtutem TRæ ♀ri vel ♁ii; inſerviunt tandem revocandis ad pedes motibus arthriticis, atque podagricis pediluvia, & quæ plura ſunt.

§. XXVII. Et quantumcunque hactenus conati ſumus aſthmaticis noſtris medelam adferre, cauſis potiſſimum internis attendimus ex ternarum quaſi immemores: quarum ne obliviſci, aut easdem plane ignorare videamur, comemoramus aſthma ſiccum & ſpasmodico convulſivum, quod in iis generatur, qui de ſaturninis & ☿ialibus tractant, atque horum vapores haurire neceſſitantur, aut qui aërem exhalationibus calcis vivæ refertum, vel vaporem carbonum foſſilium recipiunt, utpote quæ bronchia & veſiculas pulmonales exſiccant; his itaque porrigere oportet, humectantia, acrimoniam demulcentia, atque fibras laxantia, ut ſunt lac, ejus cremor, 🝆eum amygdalarum dulcium, emulſiones, ſperma ceti, pinquedo animantium, & quæ his ſimillima ſunt. Pro coronide hujus diſſertationis cautelas quasdam adnectemus practicas, quæ uſum certorum medicaminum, tum regimen diæteticum, atque poſtremo noſtrum de thermis, & acidulis judicium monſtrabunt.

§. XXVIII. Aſthma, prout nuncupavimus ſiccum, & ſpasmodico convulſivum præ ſe ferre ſpaſticas partium reſpirationi ſervientium ſtricturas, imo convulſivos harum membranaceo nervoſarum motus, nulli amplius dubitamus; quare quidquid in corpore ſpasmos procreare valet, cane pejus & angue fugiendum; exulent itaque ex fonte pharmaceutico purgantia acriora, emetica caute propinentur, ut & medicamina nimis volatilia; vitentur in diæteticis 🜄uoſa, acria, aromatica, ſed horum loco cibi boni ſucci, & facilis digeſtionis, ut ova ſorbilia, carnes gallinarum, caponum, pullorum, ac præcipue curationis tempore ordinentur panatellæ tenues cum jure gallinæ & mica panis coctæ, dein hordeata, pineata, avenata, poma cum paſſulis minoribus. Potus vitetur frigidus, ſomnus ſit moderatus, non tamen nimis parcus, magis enim in hoc affectu nocent vigiliæ, quam ſomnus protractior; a vehementioribus exercitiis abſtinendum: excreta denique & retenta ad ordinarias naturæ leges modo ſunt debito revocanda, ut ſi alvus aut veſica non reſpondeant, arte lubricæ ſerventur; quibus

om-

omnibus juncta ſit mens hilaris, morarum, quas nectit morbus, non impatiens.

§. XXIX. Nec pudeat quempiam pedes geſtare œdematoſos, qui frequentiſſime junguntur affectui noſtro; per id enim quod quis ſimilia profligare intendat per purgantia draſtica, vel per emplaſtra repellentia aut balnea laconica cum -ᴼ-u vini parata, nil aliud efficiet, quam quod æger ſucceſſive diſponatur ad affectum noſtro deſcripto ſimillimum peſſimi præſagii. Quid porro ſentiendum ſit de venæ ſectionibus tum in- tum extra paroxismum, non tam facile eſt determinatu, cum Authores jam easdem laudent, jam econtra ſumme diſſuadeant, inter hos eſt Fridericus Hoffmannus, qui prætendit, quod ſanguinis, quæ per venæſectionem fiunt, miſſiones, nunquam debeant in ipſo paroxysmo inſtitui, quoniam, inquit, malum inde fieri deterius, ac contumacius; neque extra paroxysmum quidpiam proficere in ullo aſthmatis genere, quam in eo, quod vel a nimia ſanguinis mole aut craſſitie, conjuncto cordis polypo, vel ab excretionum ſanguinearum ſuppreſſione fovetur, tum ſine præſervatorio circa æquinoctia eam debere inſtitui. Aſt metuo ſi tam ſeveri & parci ſimus in ſanguinis miſſione, ne malum exinde breviter & opinato citius ægrum ſit necaturum.

§. XXX. Ultimo noſtrum de thermarum, acidularum, atque balneorum uſu cenſum ſubjungimus, quem Friderici Hoffmanni opinioni conformem dabimus, qui judicat, quod ſi thermæ in morbi principio in uſum trahantur, vel etiam acidulæ hæ tepefactæ eſſe debeant, nec dubitat, quod huic malo & ejus generationi, præſertim ſi ex cacochymia ſcorbutica, vel viſcerum infarctu aut ſuppreſſione criticarum ſanguinis evacuationum pullulaverit, mirifice opitulentur; contra vero ſi jam inveteraverit malum, cordis polypi præſto ſint, vel hydrops pectoris fixam occupaverit ſedem, ab harum potu mortem accelerante abſtinendum; non tantam itaque ponit in has thermas intro ſumendas fiduciam, quantam tribuit externo earum uſui, præſertim quæ non tam conſtringentis calcareæ & Martialis ſunt proſapiæ, quam potius, quæ valde ſubtilem & leviſſimam aquam fovent, ⊖e quodam alcalino imbutam: quo nomine appellat Teplicenſes & piperanas, ſiquidem ſingularem his tribuit virtutem emolliendi, laxandi, tum denique fibras denſas, rigidas, ac conſtrictas demulcendi. Quæ ſi ita ſe habeant, ut vir in arte medica verſatiſſimus (Fridericum Hoffmannum intelligo) fidem meretur, non habemus, quod in ulteriorem inquiramus triplicis noſtri aſthmatis medelam, ſed tuto & huic, & diſſertationi noſtræ imponi poterit

F I N I S.

COROLLARIA.

1mum

Cognitio partium anatomico-phyſiologica prærequiritur ad morbos tum dignoſcendos, tum curandos.

2dum

Reſpiratio duos involvit actus, unum activum, qui eſt exſpiratio, alterum paſſivum, qui eſt inſpiratio.

3tium

Aſthma eſt ſpecies reſpirationis læſæ, ad quod merito dyſpnœa, & orthopnœa reduci poſſunt; non tamen inter ſe confundenda.

4tum

Multum inter ſe differunt aſthma humidum, ſiccum, & ſpaſmodico-convulſivum tum ratione cauſarum, tum morbi gradus, nec non periculo, atque cura.

5tum

Utut hæ tres ſpecies diverſas agnoſcant cauſas, habent tamen unam eandemque cauſam immediatam, qualis eſt inſufficiens, hinc plus minus deficiens aëris ad pulmones admiſſio, & ejus reciprocatio.

6tum

Qui vult in cauſæ mediatæ notitiam devenire, is bene inquirat in prædiſponentes & procatharcticas.

7mum

Ad ſecuram formandam diagnoſim nil magis confert, quam accurata morborum hiſtoria.

8vum

Et quamquam aſthma humidum a reliquis per ſonitum, ſive ſibilum ſtertoroſum, ex profundo procedentem tuſſim humidam, multum diſtinguatur, non iamen hæc ut ſignum Pathognomonicum hujus affectus haberi poſſunt, ſed conſulendæ ſunt reliquæ circumſtantiæ.

9num

Aſthma humidum, & ſiccum malum admodum eſt chronicum, ac pertinax, ſpaſmodico-vero convulſivum præ reliquis magis periculoſum.

10mum

Aſthmata terminantur vel maxime in hydropem pectoris, aut leucophlegmatiam univerſalem, vel ſi cito ægrotos jugulent, eos ſuffocatione delent.

11mum

Vomitoria non tantum non e foro Medico proſcribenda ſunt in aſthmaticis affectibus, verum congruo tempore, & præprimis in aſthmate humido idiopathico data multum, & ſæpe proſunt.

12mum

Nec tantum oberunt, quantum nocent expectorantia diutius protracta, qualia ſunt linctus oleoſi.

13tium

Non aſſentiendum Friderico Hoffmanno venæſectiones damnanti in aſthmatibus etiam ſpaſmodico-convulſivis; verum potius celebrandæ, & pro rei neceſſitate repetendæ, hæque, ſi ex nullo alio indicante jubeantur, ſufficiat ſuffocationis periculum, quod ex earum neglectu immineret.

ultimum

In paroxyſmo conſultius eſt a thermis, & acidulis abſtinere, extra eum ordinandæ, & præprimis balneorum ratio habenda, ut §vo 30. & ultimo hujus diſſertationis eorum uſum pluribus evincere conati ſumus.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA DE ICTERO,

QUAM

ANNUENTE DEO T. O. M.

DECRETO, AUTHORITATE, & CONSENSU

Perilluſtrium, Magnificorum, Spectabilium, Prænobilium, Excellentiſſimorum, atque Clariſſimorum Virorum &c. Perilluſtris, Magnifici, Spectabilis, ac Excellentiſſimi Domini Univerſitatis RECTORIS; Perilluſtris, Spectabilis, Clariſſimi ac Excellentiſſimi Inclytæ Facultatis Medicæ Domini DECANI, Venerabilis Domini Senioris, Sac. Cæſ. Regiæque Majeſtatis DD. Conſiliariorum, Archiatrorum, nec non DD. Profeſſorum, adeoque totius Ampliſſimi DD. Medicorum Collegii,

IN CELEBERRIMA, AC ANTIQUISSIMA

UNIVERSITATE

VINDOBONENSI,

Pro conſequendo Doctoratûs gradu publicæ disquiſitioni exponit

ANDREAS TROGENIUS,

Auſtriacus Viennenſis, AA. LL. & Philoſophiæ Magiſter, Saluberrimæ Medicinæ Baccalaureus Formatus, & pro Suprema Laurea Candidatus.

Diſputabitur in publico DD. Medicorum Collegio, Die Menſis Septembris horis poſt meridiem conſuetis Anno M. DCC. XLIX.

Typis Franciſci Andreæ Kirchberger, Univerſitatis Typographi.

§. I.

MOrbus, quem recenſere aggredior, vario nomine olim appellatus eſt. Græci dixerunt *icterum* ἀπὸ τῆς ἰκτίδος, ſive a fera quadam, quæ ſylveſtris muſtellæ ſpecies eſt, & oculos flavo colore fulgentes habet: Latini viverram hanc beſtiam vocant. Ex Latinis *Celſus* (a) *morbum arcuatum* appellat, fortè quia colorem arcui cœleſti æmulum corpori conciliat: alii *auriginem* dixerunt, quia color eorum, qui hoc morbo affecti ſunt, ad aurum accederet: communiſſima *morbi Regii* denominatio eſt ex eo, quod in aulis Regum per omne genus mollitiei, *lecto etiam & conclavi cultiore, uſu, loco, ludis, aliis, per quæ mens exhilaretur* (b), ejus ſanatio fieri ſolebat. In hanc rem facit illud *Sereni Sammonici* (c).

Regius eſt vero ſignatus nomine morbus,
Molliter hic quoniam celſa curatur in aula.

Tamen non improbabile eſt, *Regii morbi* nomen ſimiliter à colore auri, quod pro Rege metallorum habetur, eſſe derivatum, ùt bene cenſet *Stephan. Blancardi* in lexico novo Medico ad vocem: *icterus.* Germani die Gelbſucht vocant.

§. II. Veterum ſcripta perlegenti conſtabit, duplex genus icteri eos ſtatuiſſe. Apud *Aretæum Cappadocem* manifeſtò hæc diſtinctio habetur: *Duæ*, inquit, *ſunt hujusce labis ſpecies: aut enim in flavum croceúmve vergit, ſimulque albicat & vireſcit, aut lividum nigrumque declinat* (d); & paulo poſt: *Et in parvo arquato color exquiſitior effloreſcit. Porro quicunque nigro arquato laborant, in his ater color viridi commixtus apparet.*

(a) Lib. II. cap. VIII. (b) Idem Lib. III. cap. XXIV. (c) cap. LVIII. (d) De diut. Lib. I. cap. XV.

Duo itaque genera icteri *Aretæus* deſcripſit, quorum unum a jecinore, alterum a liene oriretur; illud colorem ex viridi flavum, hoc ex viridi nigrescentem corpori inferret. Ratio ita ſentiendi fuit præconcepta hypotheſis veterum, quod ex chylo in hepar attracto, dum in ſanguinem mutaretur, duplex purgamentum ſecederet, nempe bilis flava colligenda in cyſtide fellea, & atra per venam ſplenicam in lienem derivanda. Sicut ergo illum corporis habitum, quo id a bile flava ſanguinem inficiente flavescit, icterum primo appellaverunt; ita etiam ſi corpus a bile altera ſanguini admiſta in atrum inclinaret, ſimiliter icterum dicendum putabant, quia malum utrumque a bile ortum colorem nativum corporis mutaret.

Verùm ſi conſideremus, bilem atram dictam veteribus non naſci in hepate, neque inde in lienem derivari, ſed eſſe productum morboſum ortum ex eo, quod ſanguis parte liquidiore orbatus ſpiſſescat, adeóque hanc a bile flava ſive hepatica, ſive cyſtica tota indole longe differre; a cauſis longe aliis produci icterum flavum ac id mali genus, quod pro ictero nigro *Aretæus* habet; præter colorem corporis depravatum nihil fere ſimile in ſymptomatibus utriusque hujus morbi apparere, ùt idem locus *Aretæi* ſatis docet: conſtabit, credo, poſterius malum ab ictero eſſe diverſiſſimum, neque poſſe niſi improprie hoc nomine appellari. Cacochymiam atrabilariam, malum hypochondriacum, atram bilem motam pro vario gradu, & duratione hunc morbum hodie vocare ſolent. Certe ſymptomata ictero nigro ab eodem authore ibidem aſſignata: *Frigus, imbecillitas, demiſſus animus, triſtitia, alvi excrementa porracea ſubnigra arida, urina ad nigrius vergens, cruditates, vigiliæ, melancholia*, talia ſunt, quæ noſtro morbo melancholico ex aſſe congruunt. Præterea *Celſus* (e) ſolius icteri flavi meminit: neque nomina huic morbo impoſita aliud præter degenerationem coloris nativi corporis in flavum deſignant per §. 1.

Fatendum tamen eſt, ictericos ſæpe ſubnigreſcere non ex atra bile veterum, ſed e bile cyſtica degenerante, quam per morbos mutari adeo novimus. Bilis porracea veterum, aut iſatodes colore e nigro virideſcente prædita poteſt talem icterum ſubnigrum inducere, tametſi iſte non æque per omnia niger ſit, ſac atrabilaria cacochymia eſſe conſuevit.

§. III. Eſt itaque icterus nihil aliud, quam corporis a bile hepatica, cyſtica, vel utraque ſuffuſio, ita ut color ejus nativus in aliquod flaveſcens degeneret. Neque difficile eſt mutati coloris rationem perſpi-

(e) Loco citat.

ſpicere. Totum enim illud, quod coloratum apparet in corpore, pendet tantum a vario colore liquidorum, quæ per vaſa cutanea capillaria moventur. Qui ſanguinem denſum & rubrum habent, his roſeus color in facie effloreſcit: puella chlorotica ſanguinem crudum non aſſimilatum pallidum in ſuis vaſis continens pallet tota facie, vel ſi minor eſt mali gradus, ſubvirideſcit: inſecta exſanguia dicta, quia ſanguinem rubrum in vaſis non habent, albo corporis colore cernuntur. Dubium ergo non eſt, quin pariter a bile flava ſanguinem inficiente color cutis flaveſcens enaſci debeat.

§. IV. Cauſa proxima icteri eſt bilis non potentis vel ſecerni vel effluere in vaſa venoſa ſanguifera retropreſſio, cum maſſa ſanguinis commiſtio, & per minima vaſa circuitus. Ex Phyſiologicis notum eſt, bilem ſecerni in hepate. Vena portæ concurſu venarum abdominalium facta, in arterioſam mutata indolem per totum hepatis corpus ad omnia puncta ramos diſtribuit, & ſanguinem ab omni abdomine reducem, lympha, oleo, ſale ſemialcalino fœtum, lento motu huic viſceri advehit: ad ultimos venæ portæ fines ſive rectà porrectos, ſive in membrana folliculoſa ordinatos exit ubique canalis ſingularis, quem porum vocant, non jam ſanguinem rubrum, ſed humorem longe alium vehens; dum interim cava aſcendens poſticæ parti hepatis innata, & per ramos in omne punctum viſceris emiſſos cum ultimis venæ portæ propaginibus communicans omne id, quod in emiſſaria lateralia non commeavit, recipit. Credo hæc fabrica ſecretioni aptiſſima eſt. Veſicula vero fellea quamvis penitus innata cavæ parti hepatis per ductus quosdam peculiares *Bohnio* obſervatos bilem ab eo recipiat, tamen in ſuis tunicis vaſa copioſiſſima adeo miro plexu reticulari diſtributa habet, ut dubium vix ſuperſit, quin ipſa ſuam bilem amareſcentem ſecernat. Si itaque vaſa ſecernentia in hepate, vel cyſtide fellea nata quacunque cauſa non transmittunt ſecernendum liquidum, patet illud retineri in ſanguine per venam portæ advecto, tranſire in venas hujus finibus continuas, ſicque ſanguini totius cavæ commiſceri.

Verùm pori bilarii, ſeu emiſſaria hepatis collecta in ductum majorem abeunt, qui per pylas egreſſus extra hepar fertur: ſimiliter veſicula in collum anguſtum tortuoſum exiens tandem in ductum exilem deſinit: horum uterque in itinere occurrentes & uniti communem faciunt, qui in inteſtinum duodenum ultimò patente oſculo inſeritur. Ex quibus patet, bilem in hepate & veſicula ſecretam naturaliter effluere. Id experimenta à *Revenhorſtio* & *Bohnio* inſtituta luculente demonſtrant. Si itaque effluxus hic nato in ductibus, vel duodeno

obſtaculô impeditus fuerit, bilis continuo ſecreta per omnes meatus accumulabitur, immaniter diſtendet omnia, & ne ſua vaſa & conceptacula rumpat, in locum minus reſiſtentem effugiet. Sed à ductibus & duodeno vis reſiſtens major eſt, quam eſt potentia bilem ab hepate & veſicula expellens, quod ita ſe habere neceſſario ponitur: à ramis venæ portæ arterioſis factis oppoſita ſanguinis moti directio reſiſtit: in venoſas ergo cavæ propagines ire debet bilis reflua, quia hæ ſenſim capaciores fiunt, & humoribus ex hepate educendis ſerviunt.

§. V. Cauſa antecedens icteri eſt omnis illa, quæ bilis ſecretionem vel effluxum in duodenum impedit. Poteſt illa hærere vel in hepate ipſo & veſicula fellea, ùt obſtructio, inflammatio, ſcirrhus, calculus; vel in emiſſariis, ùt mucus, ſpasmus; vel in duodeno & vicinis, qualis eſt caſeoſum infantum coagulum, graviditas. Pro harum cauſarum diverſitate multiplex icteri ſpecies naſcitur in prædictione, & curatione diverſa admodum; quod in ſequentibus ſigillatim expendam.

§. VI. Ubi icterus per ſuas cauſas natus eſt, fiunt quidam effectus ſive ſymptomata in corpore, quæ ſimul præſentiam hujus mali ſignificant. Sunt autem hæc:

1mò: *color corporis flavus in cantho interno primo, inde in albo oculorum & fronte conſpicuus, denique in externis pectoris ſe manifeſtans, cætero corpore adhuc bene colorato.* Neque mirum eſt, in albo oculorum colorem mutatum primo apparere, cùm ibi vaſa copioſa, tenuia, ſola tenera epidermide tecta ſint, per quæ contentus humor facile transparere poſſit. Certe conditionem humorum, quatenus ea ex colore judicari poteſt, nunquam melius quam inſpectis his locis diſcimus: in morbis capitis inflammatoriis & febribus acutis, ubi denſitate phlogiſtica, & nimio motu peccat ſanguis, tota adnata rubet; eadem ubi diatheſis crudi non aſſimilati ſanguinis obtinet, pallet; & in cacochymia atrabilaria è fuſco nigreſcit. Neque de pectore externo difficultas eſt; hæc enim loca ſanguinem mox corde pulſum, impetu valentem, & bile per venam cavam refluâ totum inquinatum proximè recipiunt, & vaſa fotu vicini cordis facile dilatabilia habent: unde in his etiam magna opportunitas eſt, ubi cacochymia bilioſa immiſta ſanguini ſe præ cæteris manifeſtet. Id ſymptoma cùm omnem icterum & toto, quo is adeſt, tempore comitetur, pro ſigno ejus pathognomico merito ſtatuitur. Dixerat id *Celſus*: *Color autem eum morbum detegit, maximè oculorum, in quibus, quod album eſſe debet, fit hu-*

luteum. (f). 2dò: *linguæ amarities*, dum bilis omnem ſalivam in os affluentem, & humores per vaſa linguæ motos inquinat; hinc ſenſione bilis prævertente aſſumpta omnia amareſcere videntur. Hoc tamen vitium etiam ſine ictero contingit. 3tiò: *urina crocea vel cereviſiæ ſimilis, craſſa ſimul, lintea immerſa tingens.* Scilicet urina lixivium eſt, in quo ſales & olea per vim vitæ acriora reddita ſoluta hærent: verùm bilis omnium corporis humorum acerrimus eſt, & plurimum ſalis & olei acrioris, quæ in ſaponem unita ſunt, continet; pars horum itaque per vias urinæ ſecernetur, & lotio inhærens colore flavo, qualis croci ferè eſt, hunc humorem imbuet. Aliquando tamen, ſi per vomitum vel cutim excretio notabilis bilis fit, flavedine ſuffuſô corpore urinæ tinctæ non ſunt: imo eædem quandoque albæ & tenues excernuntur malo omine, ùt ſequenti paragrapho dicetur. 4tò: *corporis pruritus* ab acri bilioſo in vaſis cutaneis minimis hærente, & papillas nervoſas leniter vellicante. Levior enim papillarum, quæ tactûs organon faciunt, concuſſio pruriginem infert, dum fortior ſolutionem continui minitans doloris ideam in anima excitat. An non ab acri acido, vel muriatico ad vaſa cutanea appulſo ſimiliter moleſtus pruritus corpus afficit? 5tò: *alvi ſegnities & fæces alvinæ cinericiæ, non adeo albæ quàm plumbeæ, in diuturno malo lythargyrio quaſi infectæ*: flaveſcens enim color, quem fæces alvinæ naturaliter referunt, à portione craſſiore bilis admiſtæ pendet, cujus ergo influxu & miſcelâ impeditâ longè aliter coloratæ apparent: cùm verò bilis in inteſtina affluentis inter reliqua hoc etiam munus ſit, ut fibras motrices ſtimulet, & fæces ad anum usque leniter promoveat, patet inde ratio, quare in ictero alvus tardior ſolitô ſit. Quandoque hæc penitus etiam occluditur nullo modô ſollicitanda. Memini *Magnific. & Celeberr. Gerardum van Swieten in publicis inſtitutionum prælectionibus* talem caſum retuliſſe, in fæmina ex autumnali febre continua icteritia factâ alvum per multas hebdomadas cum inſigni tumore abdominis concluſam fuiſſe, ita ut nec per clysmata acerrima, nec fumum tabaci, vel aërem follibus in anum immiſſum aperiri potuerit. 6tò: *totius corporis laſſitudo & pigrities*, quæ procul dubio fit, dum ſpiſſior bilioſa materia tranſpirationi inepta in ultimis muſculorum vaſis ferè immeabilis hæret, vel dum dyſcraſia bilioſa ſanguinis tenerrima encephali ſtamina premit. 7mò: *ſenſus tenſionis vel ponderis in hypochondrio dextro, aliquando & epigaſtrio.* Pendet hoc à tanta copia bilis in hepate & cyſtide accumulata, à numeroſis calculis, ab obſtructo, inflammato, ſcirr-

(f) Lib. III. cap. XXIV.

ſcirrhoſo hepate, &c. quibus vaſa, meatus, nervi, ligamenta hepar nectentia diſtrahuntur. 8vò: aliquando *nauſea*, *vomitus*, *ſingultus* à plexu nervoſo hepatico, & vicinis phrenicis ac ſtomachicis nervis diſtractis, irritatis, convulſis. 9nò: *dyſorexia*, quia vires chylopoeæ deficiente bile languent; licèt ſæpe appetitus integer maneat. 10mò: *Celſus* (g) etiam *ſitim*, *dolorem capitis*, *& ſub motu vehementiore corporis ſpirandi difficultatem* inter ſymptomata morbi Regii recenſet, quæ quandoque contingere poſſe extra dubium eſt. Hæc effecta morboſa (à 2. ad 10.) ſæpe icterum comitantur, non ſemper tamen neque toto hujus morbi tempore; eadem etiam aliis morbis frequenter accidunt; hinc ſignum hujus morbi individuum & inſeparabile non conſtituere, diagnoſin tamen, ſi cum colore corporis mutato concurrunt, certiorem reddere poſſunt.

§. VII. Planè acerbum icterus malum eſt, ſive ſpectes colorem corporis depravatum, ſive morbos, quos inferre conſuevit. *Color ſpecie horribilis eſt*, ùt inquit *Aretæus* (h): *etenim colore aurum repræſentant: ſed non hominem decet, quod in lapide pulchrum fuerit.* Sanatio icteri, ſi à cauſa facilè medicabili, præſertim in duodeno vel colo inteſtino hærente ortum habuerit, non adeo ardua eſt, nec multum temporis requirit. At icterus diuturnus ex chronico hepatis vel cyſtidis felleæ vitio natus difficillimæ ſanationis eſt, & ſæpe nullam penitus medelam ſuſcipit. Is varios exitus ferè lethales ſortitur. Abit primò in hydropem, dum vi bilis ſaponaceâ totus humor vitalis diſſolvitur, & in vaſis majoribus contineri non potens in tunicam celluloſam, vel vaſa minora lymphatica elabitur, ibíque accumulatur. Vim hanc bilis ſolventem certa obſervata docent. Tenerrima bombycum fila coloratis pigmentis ſe imbui non patiuntur, niſi cum bile cocta fuerint, quæ tenax gummatoſum his filis hærens abſterget, & aquæ ingreſſum parat: pictores ſua pigmenta aliquot guttis bilis inſtillatis ſolent diluere, ut ſe aquæ æquabiliter tritu ſuper porphyritem miſceri patiantur. Dum jam icterus in hydropem tranſit, corpora cum pallore quodam inalbeſcunt, & à defectu rubri ſanguinis languida & frigida fiunt. Urina multo tempore penitus alba, aut certe multum diluta in ictericis maximè ſine alia evacuatione bilis ſenſibili hydropem imminentem præſagit, licèt is tamen ſine tali urina prægreſſa oriri etiam poſſit. *Plerique icterici, diſſoluto poſt multum tempus ſanguine, & ſine aqua interſcute colliquati interiêre* (i). Terminatur ſecundò icterus inveteratus ſæpe in tympanitidem, ſive tumorem flatulentum abdominis ex eo, quia aer

(g) Loco citat. (h) Loco citat. (i) Aretæus loc. citat.

aër in tubo inteſtinali ex ingeſtis extricatus, & elaterem recuperans languente motu periſtaltico ſurſum vel deorſum formâ ructûs aut flatûs non expellitur, ſed totus in inteſtinis collectus, & ob calorem loci omni momento plus rarescens omnia in immanem tumorem extendit. Hæc inteſtinorum ex ictero inflatio, ſi ſolvi non poſſit, periculum habet. Tertiò ex ictero diuturno ſcirrhoſa gypſea concreta in hepate, calculoſa in cyſtide fellea nasci aliquando contingit, dum bilis diuturna morâ corrumpi incipiens in duo ſeparatur, quorum alterum ſumma penetrabilitate transſudat, alterum fixius ſubſidet & concrescit. Certa tum inſtat pernicies, quæ extra omnem opem humanæ medelæ eſt. Dixerat idem *Hippocrates*: *Morbô Regio laborantibus, ſi fiat hepar durum, malum* (k). Tandem in malum corporis habitum deſinere icterum obſervat *Aretæus* loco ſæpius citatô; quod facilè fieri poſſe videtur, tum quod diſſolutus non cohærens diu ictericorum ſit ſanguis, tum quod bilis defectu prima digeſtio in his ſemper langueat, & hinc crudiora ſanguini ſuppeditentur; qua utraque causa nutritionem corporis depravari neceſſe eſt. Cachexiam bilioſam id malum dicere poſſumus, quod in hydropem vel tabem ſemper terminatur.

Hæc de icteri denominatione, indole, cauſis, ſymptomatibus, ſignis, præſagiis in genere dicta ſufficiant: nunc præcipuas hujus morbi ſpecies, earúmque appoſitas medicationes ſigillatim recenſeo.

§. VIII. Prima & frequentiſſima icteri ſpecies illa eſt, quæ ab obſtructo hepate oritur. In hac humor tenax immeabilis ultimis venæ portæ ramis vel pororum ſecernentium initiis impactus hæret. Is icterus aliquando ſine omni morbo prægreſſo oritur, aliquando morbi prægreſſi effectus eſt. Si ſine alio morbo natus fuerit, his ſignis noſcitur: æger ſenſum ponderis ſine dolore tamen in dextro hypochondrio vel & in epigaſtrio percipit, & facilius in dextrum quam ſiniſtrum latus decumbit; digitis ſub coſtas lateris dextri adactis tumor quidam renitens præcipuè in gracilibus tactu deprehenditur; reſpiratio impedita eſt; alvus ſegnior & fœcum color degener; ſimul in albo oculorum pallor ſingularis vel flavedo apparet. Plerumque is icterus ſanabilis eſt per ea, quæ tenax obſtruens incidunt & attenuant, ſimúlque vaſa debilia hepatis roborant. Diſtingui tamen oportet, an lentor obſtruens frigidæ mucoſæ ſit indolis, an calidæ bilioſæ. Prius novimus è ſignis viſcidi glutinoſi in ſanguine & primis viis, quæ ſunt appetitus ſenſim deletus cum nauſea, pulſus debilis, frigus, languor corporis & mentis hebetudo, ſolidorum laxitas, urina pallida craſſa, color cutis pallidus & lu-

B ri-

(k) Sect. VI. aphor. 42.

ridus potius quàm flavus; ſi hæc cum prioribus concurrant. Poſterius indicat temperies corporis ſanguinea vel bilioſa cum pulſu forti pleno, calore magno, ſiti, urina ſaturata olidâ, accedentibus ſimul ſignis ſuperius enarratis. In frigida humoris obſtruentis diatheſi pro fine attenuandi bilis inſpiſſata animalium, vegetabilia amaricantia & antiſcorbutica, fuliginoſa, alcalina fixa, chalybs, acidulæ, gummata ferulacea, crocus conveniunt. Quibus pro fine evacuandi aloëtica intermiſceantur. Variæ ex his formulæ concinnari poſſunt v. g.

1. ℞. extracti gentianæ
——— centaur. minor.
——— abſintii aña dr. i.
ſaponis veneti dr. iii.
aloës ſuccotrinæ dr. i β.

miſce, ut fiant pillulæ gran. iv. S. 3. mahl des Tags 5. Pillen zu nehmen. Suberbibat his vaſculum decocti 5. radicum aperientium. Similem uſum præſtant iſtæ eodem decocto ſuberbibitô.

2. ℞. Saponis venet. dr. iii.
gum̃i am̃oniac.
——— galbani
——— myrrhæ aña dr. i.
extracti rhei dr. i β.

miſce, ut fiant pillulæ gran. iii. S. 4. mahl des Tags 5. zu nehmen. Vel exhibeatur vinum medicatum præmiſſis & ſemel ac iterum interpoſitis pillulis Rufi ad dr. β. vel ſcr. ii.

3. ℞. radic. gentianæ
——— galang. m̃. aña. dr. ii.
——— rubiæ tinct.
ſum̃it. abſintii
——— centaurii minor. aña dr. vi.
limat. martis non rubig. unc. i.

Sciſſa, trita, miſta digere fervidè vaſe clauſo in vini Auſtriaci generoſi ℔ iv. ſpatiô trium horarum; colaturam exhibe. S. alle 4. Stund ein Caffee-Schallerl voll zu nehmen.
Poſſunt eadem hæc in tenuiorem pulverem conſciſſa & contrita in conditum redigi v. g.

4. ℞.

4. ℞. pulveris præſcripti unc. i β.
conſervæ abſintii unc. i.
ſyrup. 5. radic. aperient. q. ſ.
ut fiat conditum.
S. 3. mahl des Tags einer Nuß-Groß zu nehmen.

In calida materiæ obſtruentis diatheſi commoda aperientia ſunt ſerum lactis, ſaponacea acida, nitrum, ſal polychreſtus, mellita, decocta meraca è taraxaco, ſcorzonera, ſapo venetus, quæ omnia ſine motu & calore aucto vim ſolventiſſimam exercent. v. g.

5. ℞. aqu. ſtillat. cichorei unc. viii.
rob ſambuci unc. ii.
ſalis polychreſt. unc. β.
ſyrup. 5. rad. aperient dr. v.

miſta exhibe. S. alle 4. Stund ein Caffee-Schallerl voll zu nehmen. Cui decoctum radicis rubiæ tinctorum melle edulcoratum ſuperbibatur.

Vel ſequens decoctum ante alia eximium exhiberi poteſt.

6. ℞. radic. cichorei
—— graminis
—— tragopogon.
folior. endiviæ
—— taraxaci ana unc. i.

Sciſſa, tuſa, miſta digere fervidè vaſe clauſo in aquæ font. ℔ v. ſpatio duarum horarum: colaturæ adde

nitri puri dr. i β.
mellis puriſſimi unc. iii.

S. alle 2. Stund des Tags ein Caffee-Schallerl voll zu nehmen.

His præmittere vel interponere convenit purgantia è manna, tamarindis, & ſimilibus v. g.

7. ℞. Electuarii de tamarindis diſpenſatorii
Viennenſ. dr. vi.
ſalis polychreſt. dr. i.
conſerv. roſarum dr. ii.
miſce, ut fiat electuarium.
S. auf einmahl in der fruh zu nehmen.

Recenſitis hujus icteri medicationibus accedat ſimul motus corporis & frictio pannis aſperis laneis facta: vitentur cibi farinoſi, duri, tenaces: carnes teneræ animalium & juſcula ex his parata cum pauculo ſalis,

lactuca, endivia, & ſimilia ſolventiſſima olera ſint pro alimento, quæ in frigida hepatis diatheſi aromatibus paulo acrioribus v. g. pipere, Zingibere, condiantur: pro potu ſerum lactis convenit vel pro re nata vinum & cereviſia meracior.

§. IX. Icterus ab obſtructo hepate, qui alium morbum conſequitur, varius eſt pro varietate morbi prægreſſi. Poſt diuturnas febres intermittentes, in peripneumonia vera, in febribus acutis continuis, & ex Colica hyſterica vel hypochondriaca talem naſci obſervata certiſſima docuerunt.

§. X. Icterus poſt intermittentes fit ex eo, quod ſanguis per vim febris liquidiſſima parte orbatus minus aſſimilatus & craſſior vaſa hepatis obſtruat. *Celeberrimus Gerardus van ſwieten commentariorum Tom. II. pag.* 523. teſtatur ſe obſervâſſe, quod vigeſimo ſeptimo hujus ſæculi anno, quando intermittentes autumnales pertinaces admodum epidemicè graſſabantur, plurimis ægris icterus ſupervenerit. Noſcitur ab hac cauſa ortus ex intermittente diuturna prægreſſa, colore flavo in oculis & urina, & plerumque dextri hypochondrii tenſione ac tumore. Tum craſſa ſolvenda & vaſa roboranda ſunt uſu vini medicati §. VIII. 3. recenſiti, maximè ſi vegetabilibus amaris aromatica v. g. corticem cinamomi, nucem moſchatam, & ſimilia adjungas. Simul externè theriaca diateſſeron cum ſapone veneto formâ linimenti applicata pulchrè prodeſt. Poſtquam per hæc ſoluta & mobilis reddita eſt obſtruens materia, tunc demum lenibus purgantibus non prius locus eſt; v. g.

℞. infuſi laxativi diſpenſat. Vienn. cum
rhei electi dr. ii β. & ſal. polychreſt. dr. i.
facti unc. iv.
ſyrup. de cichoreo cum rheo dr. ii β.
S. warm zu nehmen.

§. XI. In peripneumonia verá, dum materia inflammatoria pulmonem obſidens cocta & mobilis reddita, puríque analogam naturam habens, nondum tamen verum pus, reſorbetur per venas bibulas, & miſta ſanguini ad hepar deponitur, icterus per metaſtaſin fieri ſolet, quamquam raro is obſervetur. Noſcitur id genus icteri, ſi ante diem nonum inflammati pulmonis, priusquam nempe vomica purulenta formari in hoc viſcere incipit, ſubitò levatur pulmo cum reſpiratione liberiore & pulſu ampliore, tum ſi eodem tempore dolor in hepate

per-

percipitur non evanidus cito ſed permanens cum cutis colore flavo & ſimili urina. Niſi depoſita materia per ductus bilarios bona fortunâ in cavum inteſtinorum delapſa per alvum excernatur, vel in venam cavam redux ad loca alia minus periculoſa deponi aliísve viis de corpore exire poſſit; naſcitur vomica purulenta hepatis, ex qua raro ægri emergunt, ùt hiſtoria hepatitidis docet. Indicatio ergo jubet 1. materiam in hepate collectam quam maximè ſolutam & mobilem reddere; 2. vires firmare, ut languens à morbo vita expellendo vel aliorſum derivando ſufficiat; 3. alia loca minus periculoſa ita diſponere, ut morbi materiam facilius recipiant. Hinc apprimè valet decoctum, quod §. VIII. 6. habetur, ſi ad ſingulas aquæ libras dr. ii. radicis imperatoriæ vel angelicæ ſub finem decoctionis infundas: præterea fomentis ex eodem decocto factis obvolvantur hypochondria: clyſmata è ſimilibus cum ſero lactis parata frequenter ano injiciantur, parca tamen copiâ, ut retineri diu poſſint; v. g.

℞. radic. graminis unc. β.
folior. taraxac. dr. ii.

ſciſſa, miſta digere fervidè in ſeri lactis recentis unc. vi.
Colaturæ fortiter expreſſæ adde

nitri puri dr. ii.
mellis mercurialis unc. i.

miſce, ut fiat clysma.

Simul cùm materiæ morboſæ ad crura metaſtaſis in hoc morbo toties bono cum effectu contingere obſervetur, hinc cucurbitæ ſine ſcarificatione, vel epispaſtica è farina ſinapi ſeminum & ſecalinâ commiſtis, & in paſtam redactis parata merito his partibus adhibentur, ut levi irritatione impetus vitalis in hæc loca auctior fiat.

§. XII. In febribus acutis continuis quandoque icterus accidit vel criticus vel ſymptomaticus. Signa coctionis prægreſſa, præſentia temporis critici, levamen ægri, & febris remiſſio percepta illo tempore, quo hypochondrium tendi, & oculi flavere incipiunt, criticum eſſe deſignant. Idem teſtatur *Hippocrates* (l): *In bilioſa febre morbus Regius cum rigore, ante ſeptimum diem, morbum ſolvit.* Nempe rigor in acutis circa ſeptimum diem contingens effectus eſt materiæ morboſæ jam coctæ & motæ, adeóque ponit certo ſigna coctionis prægreſſa eſſe. Licèt

 verò

(l) IV. de vict. rat. in acutis text. 18.

verò *ante ſeptimum diem* dixerit *Hippocrates*, non tamen ideo excluduntur dies, qui ſeptimum conſequuntur v. g. undecimus & decimus quartus, quin & circa hos icterus criticus in acutis fieri poſſit, ſi ſigna coctionis præceſſerint. Alia eſt quæſtio, an talis icterus *morbum ſolvat?* Extra dubium id eſt, ſi una cum eo vel paulo poſt evacuatio quædam ſenſibilis materiæ morboſæ per ſudorem vel alvum contingat, & mollia ſimul præcordia fuerint; tum nihil moliri oportet, ſed naturæ opus totum committere: ſi verò his contraria fuerint, infida criſis eſt, quæ perniciem adeo nobili viſceri minatur; hinc omni ope erigendæ vires, attenuandus lentor, & ad cutis ſpiracula vel alvum determinandus eſt, quod per ea, quæ præcedente paragrapho dicta ſunt, optimè efficitur. Symptomaticum icterum in acutis novimus, ſi fit ſine ſignis coctionis prægreſſis, ſine ulla febris remiſſione, aut ægri levamine; iſque fere lethalis eſt. Dixerat *Hippocrates*: *Quibus in febribus morbus Regius ante diem ſeptimum ſupervenerit, malum* (m); quo in loco bene animadvertendum eſt, eum nullam rigoris mentionem feciſſe, ut indicaret, nulla ſigna coctionis hunc icterum præiviſſe. Cæterùm talis icterus etiam poſt ſeptimum diem contingens mortem adfert.

§. XIII. Obſervavit *Sydenham* (n), mulieres hyſtericas, vel partu difficili & laborioſo exhauſtas in dolorem colicum cum vomitu enormi viridis vel flavæ materiæ conjunctum incidere, qui ſæpiſſime in icterum deſineret, & iisdem paſſibus, quibus hic ſubit, fugam meditaretur. Procul dubiô convulſivi motus in inteſtino duodeno & vicinis ab ataxia ſpirituum ſuſcitati, quibus viæ bilariæ conſtrictæ anguſtantur, & bilis retroprimitur, hunc icterum producunt, licèt ſi perſiſtat diutius, obſtructorium hepatis vitium naſci videatur. In viris hypochondriacis æquè ac in fæminis contingit. Ex dictis patet diagnoſis, neque curatio difficilis eſt. Plerumque ſponte ſua brevi tempore evaneſcit; ſi moram diuturniorem trahit, ſolventibus opus eſt, quo valent pillulæ præſcriptæ §. VIII. a. vel decoctum 6. Cathartica omnia vitanda ſunt rheo fortè exceptô; quia leviſſima ſyſtematis nervoſi commotio dolorem colicum illico renovat.

§. XIV. Altera icteri ſpecies hepatitidis ſymptoma eſt. Licèt hæc ſine ictero etiam eſſe poſſit, ubi tantum arteria hepatica vel exigua pars venæ portæ in ſuis propaginibus per jecur diſtributis inflammatur. Tunc enim per reliqua hepatis loca non impedita bilis ſecretio rite peragitur. Phlegmone autem in ſyſtemate venæ portæ per notabilem partem hujus viſceris nata facilè apparet, bilem ſecerni non

poſſe,

(m) Sect. IV. aphor. 62. (n) Sect. IV. cap. VII.

poſſe, & hinc in venam cavam reprimi debere, ſive rami ultimi venæ portæ immeabili ſanguine diſtenti emiſſaria bilifera compreſſerint, ſive denſus humor ipſos poros ſecernentes errore loci obturaverit. Signa icteri ex hac cauſa oriundi ſunt febris acuta continua; dextri hypochondrii ſæpe & epigaſtrii dolor punctorius in inſpiratione, tuſſi, decubitu in dextrum latus, excretione alvi, & à paſtu auctus; ſingultus dolens admodum; ſitis; urina parca, flammea, ardens; accedente ſimul albi oculorum flavedine & oris amarore. Plenus periculi hic icterus eſt tum ratione morbi principis, è quo ortum habet, tum ratione febris continuæ, per quam bilis cum ſanguine circumductæ ſubputrida acrimonia omni momento augetur. Ejus curatio curatione hepatitidis tantum abſolvitur, hinc venæſectione in brachio, purgantibus lenibus antiphlogiſticis, clysmatibus è decocto hordei vel ſero lactis cum nitro ſæpius injectis, remediis diluentibus, ſaponaceis acidis, nitroſis, mellitis, fomentis emollientibus & reſolventibus externè applicatis; quæ ſigillatim recenſere ad hiſtoriam hepatitidis pertinet.

§. XV. Ubi non reſoluta hepatis inflammatio in abſceſſum exit, alia ſpecies icteri oritur, non ſemper tamen. Hunc novimus, ſi inflammati hepatis ſymptomata ſine ſignis reſolutionis vel criſeos factæ remittunt; dolor gravativus dextrum hypochondrium occupat ad jugulum & ſummum humerum diffuſus; tumor tactu in eodem loco percipitur; febricula hectica cum magna ſiti & debilitate ægrum vexat; ſique his præſentibus ſigna icteri in oculis, facie, urina conſpiciuntur. Prognoſis & ſanatio hujus tota ab abſceſſu pendet, nec itaque hujus loci eſt. *Celeberr. Hermannus Boerhaave in aphoriſmis de cognoſcendis & curandis morbis capitulo de hepatitide & ictero multiplici* quinque ſpecies icteri ex abſceſſu hepatis nati deſcribit, tot nempe, quot ſunt varii exitus, quibus abſceſſus is terminatur. Patet ex iis, quæ ibi habentur, ſumme periculoſum vel abſolute lethalem eſſe icterum, qui abſceſſum hepatis comitatur, & tunc ferè tantum aliquam ſpem ſalutis ſupereſſe, ſi abſceſſus peritonæo accreverit, & tumorem extrorſum prominentem excitaverit, ſique aperto illô effluens pus album, æquale, læve, inodorum, nec ſpecillum colorans fuerit. Ubi itaque in hoc ictero medicina faciunda eſt, ſerum lactis, acida ſaponacea, balſama nativa, terræ pingues, decocta vulneraria ex bugula alchymilla &c. & præcipuè aquæ medicatæ minerales conveniunt, per quæ ulcus hepatis mundari, & putridum tum bilioſum tum purulentum in ſanguine emendari poſſit.

§. XVI. Scirrhus hepatis ex inflammatione vel alia quacunque cauſa exortus plerumque icterum comitem habet, cùm vix notabilis hujus viſceris pars ſcirrheſcere poſſit, quin transfluxus ſanguinis venæ portæ & bilis ſecretio impediatur, maximè dum durum ſcirrhi corpus vaſa circumpoſita comprimit. Nova hæc iterum icteri ſpecies eſt. Noſcitur 1mò ex prægreſſis cauſis, quæ ſcirrhum producere valent, ùt ſunt hepatitis non reſoluta nec ſuppurata, hypochondrii dextri contuſio, ſpirituum fermentatione productorum abuſus &c. 2do è ſignis obſtructi hepatis §phô VIII dictis, niſi quod digitos ſub coſtas intrudenti tumor durior & magis renitens appareat: ſcirrhi enim & obſtructionis materia tantum gradu duritiei differunt. Difficilis, ſæpe & impoſſibilis ſanatu hæc aurigo eſt: diſtinguere debemus, an in confinio obſtructionis & ſcirrhi malum adhuc hæreat, an verò jam confirmatus ſit ſcirrhus. Si primum obtinet (quod recens ortus, nondum lapidea ad tactum durities, & reliqua ſymptomata mitiora indicant) reſolvi poſſe ſpes eſt, túmque talia conferunt, quæ vaſa laxare & ſimul concretos humores ſine magno motu excitato fundere valent. Huic ſcopo internè ſervit hæc mixtura.

1. ℞. Vini Rhenani ℔. ß.
ſalis cardui bened. dr. ii.
liquoris terræ foliat. tartari dr. i.

miſta exhibe, S. 4. mahl des Tags ein halbes Caffee-Schallerl voll zu nehmen. Singulis hujus doſibus vaſculum decocti §. VIII. 6. præſcripti ſuperbibatur.

Externè convenit corpus bis de die balneo calido immergere vel cataplaſma emolliens loco affecto toties applicare v. g.

2. ℞. fol. althææ
— malvæ
— parietariæ
flor. verbaſci aña dr. vi.
bulb. liliorum alb. dr. iii.

Sciſſa, miſta cum lacte in mortario ſubige, ut fiat cataplasma. S. warm zu appliciren.

Poſt hæc molliter perfricetur hypochondrium & ſolventiſſimis remediis formâ fomenti, linimenti, cataplasmatis tegatur v. g.

3. ℞. gummi ammoniaci in aceto
ſcillitico ſoluti unc. i.
theriac. diateſſeron unc. β.
miſce, ut fiat linimentum.
4. ℞. fol. tabaci recent. unc. v.
tritis cum aceto in mortario
lapideo admiſce
ſalis communis unc. β.
miſce, ut fiat cataplasma.
5. ℞. aquæ communis unc. x.
aceti ſcillitici unc. ii.
ſal. ammoniaci unc. i.
miſce, ut fiat fomentum.

His multo tempore continuatis ubi jam mobilis reddita materia eſt, quod è ſymptomatum levamine & mollitie hypochondrii ad tactum majore noſcimus, leni purgante ſemel ac iterum evacuetur, quale eſt præſcriptum §. VIII. 7. & §. X.

Scirrhus hepatis inveteratus, inſigni duritie præditus nullis remediis ſolventibus auſcultat, imo his nimium irritatus in horrendum cancrum ſæpe vertitur. Icterus ergo ex hoc natus medelam non ſuſcipit, ſed ſib relictus multo tempore perſtat, & in hydropem lethalem tandem terminatur.

§. XVII. Calculi è bile concreta nati, in hepate, ductu cyſtico, ductu communi, plerumque cyſtide fellea reperti icterum ſæpe inducunt, qui per annos durat & periodicè redit. Horum calculorum geneſis ex §. VII. 3. intelligitur: ſunt ſæpe aquâ leviores non ſemper tamen; quandoque flavi, aliquando virides; ſæpe lamellati; plerumque externa ſuperficie ſaponis veneti colorem & unctuoſitatem referunt, intus flavent; facilius ſolubiles & friabiles ſunt quam calculi urinoſi; ſolvuntur oleô vitrioli in liquorem fuſcum, qui moſchum ſpirat; ſolvi etiam ſpiritu ſalis & nitri ſe patiuntur. Non nocent, quamdiu quieſcunt: dum verò moventur, Colicam convulſivam inducunt, quæ in icterum deſinit. Fiunt tum anxietates, ſenſus circa cardiam quaſi à torculari premente, nauſea, bilis vomitus, tormina, ſæpe & fluxus alvi education bilioſus. Falſo quidam hæc ſymptomata à muco inteſtini duodeni derivant, húncque ſolvere & purgantibus exturbare conantur. Poſt hæc aliquo tempore tolerata poſtridie album oculorum & corpus flavet, fæces alvi gryſeæ vel argillaceæ excernuntur, urina crocea min-

gitur, ſit verus icterus, quo nato Colica ceſſat. Icterus is durabilis non eſt, ſed per copioſam flavam urinam emiſſam vel per ſudorem pruriginoſum poſt aliquot dies ſolvitur, & omnia in integrum redeunt, donec interpoſito temporis intervallô natæ ſint cauſæ, quibus denuo recurrat. Periodorum varia menſura eſt pro varia ægri temperie & rerum non naturalium uſu. Cauſa novos recurſus excitans eſt procul dubiô nimis violenta cyſtidis felleæ & emiſſariorum à bile in exitu retardata & hinc accumulata diſtenſio. Neque mirum eſt bilis exitum præſentibus calculis retardari; quia ſi hi leviores bile fuerint, in ſuperiora verſus collum veſiculæ emergentes illud pro parte præcludunt, ſi verò ſuo pondere fundum occupant, tunc totam cyſtidem verſus inferiora diſtrahunt & elongant, quod fieri non poteſt, quin cavum cervicis plurimum anguſtetur. Verùm diſtenſione veſiculæ & ductuum natâ motus convulſivi enormes tum illarum tum vicinarum abdominis partium fiunt, quibus calculi è ſede ſua moventur, anguſtiis viarum bilariarum intruduntur, & ſcabræ ſuperficiei affrictu convulſionem omni momento augent. Sic bilem cyſticam à ductu ſuo penitus excluſam, tanta ſimul vi convulſæ veſiculæ preſſam in hepar, inde in cavam retropelli neceſſe eſt. Diagnoſis hujus icteri ex dictis patet; recurſus frequentior, præcedens Colica convulſiva, & hanc excipiens color oculorum ictericius cum urina crocea illum manifeſtant. Aliquando in illo loco, ubi fundus cyſtidis felleæ in medio dextro hypochondrio ad quatuor fere transverſos digitos ultra hepar & coſtas verſus inferiora eminet, calculi poſſunt tactu deprehendi. Mirum ſane eſt, quantum pars hæc fundi veſiculæ prominens à calculis ſæpe diſtendatur. *Celeberrimus Gerardus van Swieten in ſuis prælectionibus* nobis teſtatus eſt, vidiſſe ſe mirum in hypochondrio dextro tumorem ad criſtam ilei usque protenſum, qui inde in cadavere examinatus erat tantum fundus diſtentiſſimus cyſtidis felleæ, quæ calculis pleniſſima fuerat. Icterus is multis ſæpe annis affligens immedicabilis plerumque eſt, & in hydropem ac tympanitidem lethalem exit. Calculis per anum excretis ſanitatem rediiiſſe conſtat; ſed raro admodum caſu, ita ut è quinquaginta ægris vix unùs ſic evalerit. Per vomitum rejectos obſervata docent ſed malo cum ſucceſſu, dum ductus bilarii, inteſtinum duodenum, ventriculus, per quæ loca durus & aſper calculus transprimitur, irritata inflammantur & mortem cito inferunt; quod nuper admodum in Illuſtriſſimo urbis hujus comite factum meminimus. Sanitatis ergo recuperandæ ſpes anguſta in hoc morbo eſt. Ne tamen Medici ope æger deſtituatur, aliquid tentandum ratio ſuadet. Facilè

appa-

appáret, icteri hujus præſentiam curatione non indigere; quia ſua ſponte poſt paucos dies ſolvitur: hinc quidquid agendum incumbit Medico, in eo tantum eſt, ut causa antecedente ſublatâ deinceps futurum præcaveat. Solvere concreta calculoſa & vel ſoluta, vel, ſi id fieri non poſſit, integra per alvum educere indicatio jubet. Ad ſolvendos calculos bilioſos inſignis vis comperta eſt radicis graminis, ſi hujus decoctum meracum vel ſuccus expreſſus quotidie magna copiâ aſſumitur, uſu per menſes continuato. Sub finem, ubi ſoluta ſunt omnia, fere diarrhœa cum macie ſequitur, interim levamen manifeſtum ægri percipiunt, & deinde pingueſcunt. Poterit autem huic decocto ſimul ſpiritus ſalis vel nitri admiſceri, quorum ope hos calculos etiam extra corpus adeo efficaciter ſolvi novimus. Formula v. g. hæc eſt,

1. ℞. radic. graminis ℔. i.
tuſa in mortario digere fervidè in aquæ
ſontanæ ℔. vi. ſpatiô duarum horarum,
colaturæ fortiter expreſſæ admiſce
ſpiritus ſalis acidi dr. i.
mellis puriſſimi unc. iv.
miſta exhibe. S. des Tags hindurch ein halbe Maß zu verſchiedenen Zeiten zu nehmen.

Ut calculi expellantur, molliendæ & lubricandæ omnes viæ ſunt per oleoſa blanda, mucilaginoſa. Hinc oleum amygdalarum dulcium vel cremor hordei & avenæ affatim ingeratur, clysmata emollientiſſima injiciantur ano ſæpe & parciore copia, ut retineri poſſint. V. g.

2. ℞. decocti emollientis Diſpenſat.
Viennenſ. unc. vi.
olei ſeminum lini expreſſi unc. i ß.
mellis mercurialis unc. i.
miſta exhibe. S. wärmlicht zu gebrauchen.

Externè balnea calida vel cataplasma molliſſimum §. XVI. 2. præſcriptum convenit. Uſus tamen hactenus dictorum omnium diuturnus & continuus eſſe debet. Aliquando veſica calculis plena peritonæo accreſcit; quo caſu audacter ſed felici exitu apertura factâ in illo loco educti ſunt calculi. Vide *academ. Reg. Pariſ. Chirurg.* (o). Debet autem certo de accretione conſtare, ne cyſtide aperta in cavum abdominis putridiſſimus humor effluat.

(o) Obſerv. VII. pag. 174. & ſeq.

§. XVIII. Oritur aliquando icterus à cauſa, quæ in ductibus bilariis, duodeno, vel vicinis hæret, hepate & veſicula integris. Hujus iterum plures ſpecies ſunt. Pituita in duodeno & emiſſariis accumulata frequens cauſa eſt. Noſcitur ex appetitu ſenſim deleto, nauſea, ſenſu ponderis circa præcordia, ſordibus linguæ mucoſis, alvi ſegnitie, tumore abdominis, ſi his flavedo albi oculorum acceſſerit. Facilis ſanatio eſt, tenax mucoſum dividendo, educendo, & vaſa roborando. Itaque proſunt exacte illa, quæ §. VIII. in ictero ab obſtructo per materiam mucoſam hepate (1. ad 5.) celebrata fuerunt. Externè unguentum martiatum cum theriaca diateſſeron epigaſtrio applicatum eximium uſum habet.

§. XIX. Infantibus non inuſitatum genus icteri eſt, quod à meconio non bene expurgato vel à caſeoſo lactis coagulo naſcitur. Scilicet lac, quo ſolo infantes primis menſibus victitant, in ventriculo etiam ſani hominis ab acidis prioris digeſtionis reliquiis ſtatim coagulatur, ſine noxa tamen, quamdiu bona bilis caſeo in duodenum expreſſo affunditur. Verus enim ſapo bilis eſt ſolventiſſimus eorum, quæ per acida coagulata fuerunt. Docent vituli lacte quotidie ad ſex & ultra libras paſti, in quibus lac jam in primo ventriculo ſeu rumine coagulari cœptum inde in quarto ſive abomaſo ſatis craſſa & tenacia coagula format, quæ verò in duodeno affuſa bile ita ſolvuntur, ut ſanitati non noceant. Si itaque bilis in infantibus inertior fuerit, vel tanta caſeoſi copia in duodeno accumulata, ut ductus communis in ſuo inter tunicas duodeni decurſu comprimatur, aut in ipſo exitu obturetur, tunc nato obſtaculô per potentias bilem moventes non ſuperabili hæc retropreſſa icterum facit. Similis geneſis icteri ex meconio retento eſt. Si primis ſtatim à partu diebus non rite purgatis infantibus abdomen tumet, viridia torminoſa alvô excernuntur, color in oculis & facie flaveſcit; à meconio id malum natum novimus. Fere ſimilia pendere à caſeoſis coagulis ſignificant: victus è ſolo lacte, prætumidum abdomen, fæces albæ caſeoſæ in aëre aperto brevi virideſcentes vel eædem virides excretæ, tormina, ejulatus, color cutis ſimul flaveſcens. Sine mora tunc viæ bilariæ reſerandæ ſunt, quod niſi fiat, toto tractu inteſtinorum infarcto convulſi tales infantes moriuntur. Leve purgans ex rheo cum abſorbentibus icterum à meconio tollit. Per hæc enim fæx inteſtinis hærens abſtergetur, excernitur, & acidum inde natum invertitur, ut minus noceat. Formula v. g. hæc eſſe poteſt.

℞. pul-

℞. pulveris rad. rhei gr. xv.
lapid. cancror. ſcr. i.
ſyrup. de cichor. cum rheo dr. ii.
miſce. S. auf einmahl zu geben.

Similiter in caſeoſo coagulo plurimum rheum confert, cui ob tenacitatem materiæ infarcientis majorem ſapo venetus vel bilis inſpiſſata animalium v. g. taurina, ex anguilla pisce &c. admiſceatur. Eadem hæc acido, in quod tanta hìc proclivitas eſt, potentiſſime reſiſtunt.

℞. Sapon. veneti gr. xxiv.
extract. rhei gr. xvi.
ſolutis in uncia i. aquæ cichorei admiſce
ſyrupi fumariæ dr. iii.
miſta exhibe. S. alle 2. Stund 1. Löffel voll zu nehmen.

Dum moroſi pueri hæc ore aſſumere nolunt, poſſunt in clysmate exhiberi.

℞. radic. rhei dr. iii.
infund. fervidè in aquæ cichorei unc. vi.
in colatur. ſolve
ſapon. venet. dr. ii.
S. Clyſtir, ſo wärmlicht zu appliciren.

Unguentum de arthanita, quod præter fortiora purgantia bilem taurinam continet, inunctum abdomini hìc pariter excellit.

§. XX. Obſervatur icterus non raro in gravidis è ſolo ſtatu corporis mutato. His uterus pro ratione increſcentis fœtus mole quotidie auctus ſupra marginem oſſis pubis aſſurgit, & longe altius ſolito in abdomine hæret, ita ut tertio graviditatis menſe ad os uteri digitô pertingere obſtetrices non amplius poſſint: cùm verò in cavo abdominis omnia pleniſſima ſint, patet viſcera ſupra uterum poſita adeóque hepar cum ductibus bilariis plurimum comprimi & anguſtari debere. Præterea inteſtinum colon eadem de cauſa preſſum & anguſtatum fæcibus accumulatis immaniter in gravidis diſtenditur, quæ ideo aliquot à partu diebus ſcybala dura vaſtæ molis ſæpe excernunt: verùm colon inteſtino duodeno in toto ejus deſcenſu, quem à pyloro retrorſum dextrorſum facit, fere incumbit, ita ut pro demonſtratione duodeni Anatomica colon diſcindi & reclinari debeat. Duodenum ergo compreſſum effluxui bilis reſiſtit, quæ retropreſſa icterum facit. Noſcitur id malum ex ſignis icteri, abſentia ſignorum alterius cauſæ, & graviditatis ſtadio jam provectiore. Vix cedit ante fœtum excluſum, quando ute-

uterus contractus denuo deſcendit. An non ſimiliter varicoſi crurum & femorum tumores nonniſi poſt partum evanescunt? Nihil hic itaque moliendum, niſi quis per ſerum lactis cum incocta radice ſcorzoneræ, graminis, & pauxillo nitro ſanguinem maximè fluxilem reddere, & bilioſam ejus diatheſin emendare vellet. Simul ad colon evacuandum lenia clyſmata convenire ratio ſuadet. Vide §. XVII. 2.

§. XXI. Hæc de præcipuis icteri ſpeciebus dicta ſufficiant. Apparet, quam diverſa ſit mali hujus duratio, periculum, eventus; quam varia ad id fugandum & ſæpe oppoſita medela requiſita; quam exigua ergo fides habenda jactatis hìc ſpecificis, ùt ſunt chelidonium majus, oleum ſuccini, crocus &c. Solutio ceræ flavæ, dum è ſcyphis inde factis bibitur; ſolutio auri, dum aureos potulentis immergunt; anguilla viva illigata hypochondrio; avis galguli conſpectio, qui ægro ſanatô moreretur (p); aurei ex collo appenſi geſtatio; & quæ plura ad hunc morbum ſanandum vel colorem cutis emendandum celebrantur, talia ſunt, quæ ignaræ plebeculæ concedi poſſunt, modò Medicus efficaciora remedia non negligat. Verùm ex omnibus hactenus dictis quædam corollaria deducuntur.

I. *AN in ictero bilis reipſa redit in ſanguinem cyſtica non minus quam hepatica?*

II. *Hepaticæ regurgitantis via per poros bilarios una duntaxat eſt: at cyſtica tum per porum hepaticum tum per ductus inter hepar & cyſtidem communicantes regurgitare videtur.*

III. *An ergo retropreſſioni bilis favet vena cava, cui poſterior hepatis facies circumaccreſcit?*

IV. *Quare fatalis terminus diuturni icteri plerumque hydrops eſſe ſolet?*

V. *Urina tenuis aquoſa multum prodiens ſine diarrhœa bilioſa vel ſudore pruriginoſo an in ictericis certo hydropem prænuntiat?*

VI. *Quare aliquando icterus inveteratus non in hydropem, ſed in tabem exit? Cur non ſemper?*

VII. *An cortici peruviano quandoque locus in ictero, ùt quidam volunt? An & opio? Solo rheo quare ſæpe tollitur?*

VIII.

(p) Plinius hiſt. natur. Lib. XXX. cap. XI.

VIII. *Colica ſæpius rediens cum vomitu bilioſo & colore poſtridie ictericio quid deſignat? An tunc icterum curare neceſſe eſt? An poteſt recidiva prohiberi?*

IX. *Quæ cauſa, quod ictericorum urina immerſa lintea flavo colore imbuat? An quod ſaponis & pigmenti ſimul vice illa fungatur?*

X. *An & vermes in ductibus bilariis nidulantes icterum aliquando produxerunt? An non bilis vi anthelmintica, quæ amaris ineſſe creditur, horum generationi vel moræ in his locis reſiſtit?*

XI. *Quid in infantibus aliquot poſt partum diebus color flaveſcens faciei & fæces virideſcentes deſignant?*

XII. *An venæſectio in ictero nunquam locum habet?*

FINIS.

(4)

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA THEORETICO-PRACTICA DE ARTHRITIDE IDIOPATHICA,

QUAM

DIVINA FAVENTE CLEMENTIA

DECRETO, AUTHORITATE, & CONSENSU

Perilluſtrium, Magnificorum, Spectabilium, Prænobilium, Excellentiſſimorum, atque Clariſſimorum Virorum &c. Perilluſtris, Magnifici, Spectabilis, ac Excellentiſſimi Domini Univerſitatis RECTORIS; Perilluſtris, Spectabilis, Clariſſimi ac Excellentiſſimi Inclytæ Facultatis Medicæ Domini DECANI, Venerabilis Domini Senioris, Sac. Cæſ. Regiæque Majeſtatis DD. Conſiliariorum, Archiatrorum, nec non DD. Profeſſorum, adeoque totius Ampliſſimi DD. Medicorum Collegii.

IN ANTIQUISSIMA, AC CELEBERRIMA

UNIVERSITATE VINDOBONENSI,

Pro conſequendis Summis in arte Medica Honoribus, & Privilegiis publice DD. Doctoribus diſquirendam exponit.

MAXIMILIANUS JOSEPHUS LOCHER,
Auſtriacus Viennenſis AA. LL. & Philoſophiæ Magiſter, Saluberrimæ Medicinæ Baccalaureus Formatus, & pro Suprema Laurea Candidatus.

Diſputabitur in publico DD. Medicorum Collegio, Die Menſis Auguſti horis poſt meridiem conſuetis Anno M. DCC. XLIX.

Typis Franciſci Andreæ Kirchberger, Univerſitatis Typographi.

NEC ULLIS BLANDITIIS
NEC EXCOGITANDIS TORMENTIS
RESOLUBILI CONFESSIONIS SIGILLO

DIVO
JOANNI
NEPOMUCENO,

FAMÆ ET HONORIS

PATRONO

arthrItIDIs hVIVs ſpeCIMIna
enIXe ſaCrarI eX Voto
opportVIt

PRÆFAMEN.

QUam triſtis ſenſatio ſit, dum fibra nervoſa cerebro orta tenditur, ut ſubſequa ejusdem ſolutio minitetur, quis eſt? qui non novit, quis eſt? qui non doloris ideam expertus eſt; rem adeo moleſtam deteſtatur natura, tollere omni molimine adlaborat quivis, hinc quærelas movent ægri, Medici auxilium implorant, urgent urgente dolore fidem dexteramve dantes, famam & Authoritatem ejus non parum ſtabilituri, ſi his tollendis par deprehentatur! tandem doloris attrocitate patiens impatiens redditus, motis ſuſperiis duriora licet adſtantium corda commovet, compatiuntur amici, & inevincibili angore in ejus ſalutem tanquam in propriam jurant; aggrediuntur Medicum rogant, ut artificem in arte ſua exhibeat, & dum vel ejus præſentia dolorem lenire videtur, quantum non de remediis expectant; aſt ni ſubito levamen feratur, ultra ſolicitus hic furor pedem figit, & importunius ſæpe levamen extorquet.

In atrocium dolorum hiſtoria primas tenet dolor articulorum affectus corporis mentisque functiones non raro lædens, turbans,

bans, immutans penitus, qui veteribus æque ac recentioribus generali nomine arthritis intitulatur: adæquata hæc eſt Ethymologia, quæ ab ἄρθρον vocabulo græco, quod articulus ſonat, parte nimirum affecta ſuam mutuatur originem; ſæpe feliciter ſat cito terminatur, ſæpius tamen diuturnius affligit, atque poſſibiles artis conatus cum aliis morbis ſcenam ludens illudit: ſtatui jam parcit nullo, Regnantium exoſculatur pedes, Procerum foras pulſat, inter arma media movetur, in litteris turbat catalepticum fere Mathematicum, nec pauperum tabernas relinquit immunes, qui ſimplici ſua opinione ferme ſemper bilem accuſant.

Ne autem in ſimilibus enarrandis injurius exiſtam, ad ſerium huncce morbum me accingo, ejusdemque indolem præcipue, ut idiopathica eſt, indagabo; quod ut perficiam totum in tria capita dividere propoſui, quorum primum arthritidis Phyſiologiam & Pathologiam, ſecundum ſemeioticam, tertium Therapejam & Hygienam declarabit. Temerarius videri poſſem aſſumens affectum cognitu difficilem, medendo durum, eventu ſæpe triſtem, verum ſpecimen eſt, facile igitur veniam obtenturus, dum juſſu Inclytæ Facultatis id in me ſuſcepi, pro tenuitate itaque virium proſequar.

CA-

CAPUT I.

De Arthritidis Phyſiologia & Pathologia.

§. I.

INtellecta Arthritidis nomenclatura expedit in fronte ab ejusdem definitione exordiri: Varia hæc reperitur apud Authores, & quo majori arte eſt fabricata, eo minus genium morbi explicat; Hi ex ſignis eam definivere, cum hæc cauſis notiora ſint, hinc præter morbi præſentiam vix ejus naturam indicant, alii a materia morbifica eam ſtabilire contendunt, quorum aſſerta autem appropriatis ſunt deſtituta ſymptomatibus; quare eorum ſemitam non ſequemur, ne vero nos potius in morbi hiſtoriam quam definitionem immergamus breviter dicimus eſſe *dolorem articulorum cum ſenſu terebrationis a lymphæ ſtaſi, & acrimonia ortum*; Vix etenim alio articuli torquentur dolore, quin arthriticus nuncupari valeat, ſi eos exceperis, quos corporum irruentium vis perficit: Syndrome porro cauſarum atque ſymptomatum huc ſpectantium per decurſum diſſertationis appropriatis ſuis locis pateſcet.

§. II. Dolens hæc ægritudo reſidet eis in partibus, quæ firmandis, lubricandisque juncturis dicatæ ſunt, ligamentis nervoſis puta, cartilaginibus, perioſtio, glandulis mucilaginoſis: verum quam mirus hic occurrit apparatus, non enim ſufficit capſulari membrana ligamentoſa cingi articulos, aſt inſuper firmantur congerie fibrarum tendinoſarum faſciculi jam applanati, jam contorti inſtar, unde majori robore gaudent articuli, & diſtenſioni plus minusve reſiſtunt: ſolitaria ligamenta articulorum cava ingrediuntur, ut fœmoris ligamentum rotundum, alia cruciatim ſe decuſſant, ut ejusdem cum tibia junctura exhibet, & aponeurotica muſculorum abdominis productio oſſa pubis nectens docet, alia cartilagines oſſibus ligant, ut in junctura genu ſemilunaris media: Alia ligamenta ſunt interjecta interarticularia, oſſa inter ſe, cartilagines, ſemetipſa nectentia, alia denique ad certas motuum directiones juvant, ut annularia phalangum, oſſis hyoidis: Hæc & plura alia variam extenſionis dimenſionem articulis ponunt, nec ſoli articulationi tantum, ſed & muſculis, tendinibus, aliisque partibus nectendis inſerviunt, taceo aponeuroticas expanſiones miras ſuperſtratas: Cartilagine obducta extremitas oſſea tenerum eſt corpus perlaceo colore ſplendens, mollius, quam conſiſtentia oſſea, flexile, elaſticum, vaſis transgreſſuris poris donatum, a quibus ſua vita & lucu-

bricitas pendet; hæc rurſus diverſa reperitur, cartilago enim vel ipſa oſſa nectit, ut intermedia vertebris, coſtis cum ſterno, &c. vel ipſarum extremitatum oſſearum ſuperficiem auget, ut in majoribus oſſibus videre eſt, vel permodum circuli oſſa cingit, ut in ſcapula, vel varios ſinus ligamentis relinquit, ut in inciſſura cavitatis cotyloideæ cartilagine inveſtita apparet, vel fit intermedia articulis ut ſemilunaris tibiæ, ſigmoidea maxillæ; imo ipſi tendines, ligamenta plurima cartilagineam tandem induunt naturam, uti in oſſibus ſeſamoideis, quæ ex his enaſcuntur, edocemur: adeſt hic locorum ſenſus exquiſitiſſimi perioſteum vaſculoſiſſimum, ut injectiones docent, perichondrium, peridesmium: glandulæ hic quoque exiſtentes mucilaginoſæ liquidum albumini ovi leniter conquaſſato non abſimile ſynoviam dictum ſecernunt, ut in recenter apertis videre eſt, hæ glandulæ inſuper pinguedine quaſi imbutæ reperiuntur, hisce attritu fluidioribus redditis, dum lympha miſcetur, quæ ex cartilaginibus perioſtio ligamentis perſpirat, Schmegma Haverſianum audit, quod ligamentis lubricandis articulationi facilitandæ dicatum eſt. Ex hoc adorandi Creatoris artificio mirandum non eſt, ſi naturaliter ſatis tenſæ nervoſæ hæ partes ſuis in anguſtis vaſis nimium repletæ ab humore ſtagnante, urgente a tergo impetu vitali turgentes magis tantum doloris ſenſum excitent, & inflammationem lymphaticam in vaſis cognominibus admittant; plurima enim, quæ in inflammatione vaſorum rubrorum occurrunt, hic locum habent in vaſis ſecundi ordinis; vaſorum nimirum præſentia, phœnomena inflammationis, varii ejusdem exitus poſtea demonſtrandi.

§. III. Aggreſſuri diviſionem & diſtinctionem arthritidis tanta vorago, campus tam amplus occurrit, ut ubi inchoandum, ubi deſinendum ſit, hæreamus; quemadmodum enim perpaucæ reperiuntur corporis partes, quæ non ab hoc morbo ſive eſſentialiter, ſive per conſenſum afficiantur, ſic quoque vix excogitandus eſt morbus, quem non arthritis mentiretur: quare omnium primo illam diſtinguendam eſſe cenſemus in ſupremam illam triplicem claſſem *Idiopathicæ*, *Symptomaticæ*, *& Anomalæ*: Si primas harum ſpecierum facies conferamus, & illa, quæ ſunt exteriora ſpectemus in plerisque conveniunt: at a vero, quantum id abludat, iis facile innoteſcet, qui earum indolem penitius ſcrutabuntur. Arthritis enim *primigenia idiopathica* morbus eſt exquiſitus, & ſui ordinis princeps, qui a nullo quovis alio mutuatur, & cauſam ſuo generi peculiarem in ipſis articulis juncturis partibusque eas componentibus hærentem agnoſcit, cui rurſus pro diverſitate loci & articulationis læſæ diverſas tribuimus denominationes, ſic in pedibus *Podagra*,

in

in manibus *Chyragra*, in genubus *Gonagra*, in coxendice *Iſchias*, ſeu dolor iſchiaticus, in humero *Omogra*, in cubito *Pechiagra*, in cervice *Trachelagra*, in ſpina dorſi *Rhachiſagra*, in dentibus *Odontagra* nuncupatur; nonnullis etiam dum univerſi corporis juncturas comprehendit *anagras* appellari conſuevit. E diverſo arthritis *ſymptomatica* de natura tanquam hybrita participar, id eſt morbo alteri ſuccreſcit, & materiam cauſam nempe efficientem morbo unde fluxit, in acceptis refert, talis eſt arthritis a chloroſi menſium ſuppreſſione, hydrope, ſcorbuto, lue venerea, dolore colico, febre, affectibus cutaneis &c. progenita: Ubi porro arthritidis ſive primigeniæ, ſive ſymptomaticæ materia morbifica tanquam cauſa continens poſt aliquam in humoribus moram naturæ demum moleſta, ideoque expellenda per cryſim imperfectam, id eſt per lyſin nonnunquam ex ipſis juncturis ad viſcera, partesque organicas metaſtaſi minus felici deponitur, novus exoritur morbus, isque ſæpe periculoſus, ſæpe pernicioſus, indole & ingenio ob materiam ab arthritide ductam admodum ſingularis, quæ ſpecies arthriditis *anomala*, id eſt cum veteribus *extra regulam* vocatur; quæ pro varietate ſuæ depoſitionis in faucibus anginam, in cerebro phrenitidem apoplexiam, in pulmonibus aſthma, peripneumoniam, phthiſim, in ventriculo, inteſtinis, meſenterio ſthaſes, abſceſſus, excretiones diverſimodas præternaturales, in renibus nephritidem calculum, & taliter quamplurima mala in diverſis partibus affectis procreare potens eſt; in præſenti nobis potiſſimum de arthritide idiopathica tractare incumbit, aſt hæc ipſa

§. IV. Differentias ſecundario aſſumit varias & a diverſitate cauſæ, ſubjecti, durationis, vehementiæ diverſas: ob originem etenim cauſæ vel eſt *hæreditaria*, quando a patre aut matre in filios imo nepotes propagatur, & primo tractu temporis ſe manifeſtat; vel *congenita*, ſi mater cæterum ſana, tempore geſtationis errore diætæ in hunc affectum incidat, & eum fœtui communem cum matre vitam agenti communicet, ut ſic Arthriticus naſcatur; vel *acquiſita* ſeu *adſcititia*, quæ poſt nativitatem oritur a vitio communi in ſex rebus, quas medici vocant nonnaturales. *Ratione ſubjecti utrumque ſexum data occaſione adoritur, nulla quoque ætas ab ea ſecura*, frequentius tamen invadit adultos quam pueros, frequentius adhuc ſenes quam adultos: cum præterea jam firmiter uni articulo figi, jam varios artus pervagari ſoleat, præſtans illa diſtinctio in *fixam & vagam* non erit prætereunda; reliqua huc ſpectantia, ob ſubjectas quas occupare ſolet partes, paulo ante fuerunt commemorata; reſpectu temporis vel eſt *habitualis & inveterata*, quæ per lon-

lon-

gius temporis ſpatium profundas jam jam fixit radices, vel *recens & non habitualis*, quæ primo invaluit; alia proin eſt *continua*, alia *recurrens*, & *periodica*, quæ nempe vel continuo inhærere, vel certis temporibus crecrudeſcere, periodosque poroxismorum obſervare ſolet. Aliter ultimatim juxta diverſos, quibus incedit gradus diſcriminatur; *primus nempe* & *mitior gradus* in primis obſervatur acceſſibus, ubi dolores nec adeo acuti, nec pertinaciter inhærentes occurunt: huc commode *rheumatismus* reduci valet, nec alia inter eum & arthrititem videtur diſcrepantia, niſi quod rheumatismus ſit univerſalior, inde non tam articuli, quam magis ſpatia inter illos media partes carnoſæ muſculoſæ membranaceæ his occupantur cruciatibus licet non adeo fixis ſed potius vagis: *Ad tertium vero & ſummum gradum* arthritidem provectam fuiſſe cognoſcimus, ubi artus conſummata laborant infirmitate, quæ vix aliquam ad localem motum obeundum amplius permittit facultatem, hinc taliter affecti artus claudicant, aut quod pejus cum rigiditate amiſſa rectitudine incurvantur, quales communi loquendi formula contracti dicuntur.

§. V. Omne, quod tollit facultatem exercendæ actionis cujucunque hinc naturalem corporis conſtitutionem evertit, vocatur *cauſa* morbi quam ad evitandas nimias ſubtilitates in tres reducimus claſes, *proximam* nempe *remotam* & *procatharcticam*; ſub *cauſa proxima* intelligitur totum id, quod morbum immediate in actum deducit, id eſt, qua poſita, ponitur morbus, & qua ablata morbus quoque auffertur: noſtro hoc in caſu triſtis & dolorifica intentata ſolutio continui partium nerveo tendinoſarum organorumque ad articulationem tribuentium tanquam cauſa proxima adſtruitur, quam iterum a partium inflammatarum diſtenſione, impulſu irritatione quacunque provenire cenſemus;

§. VI. Contingit autem dolorifica hæc ſenſatio vel vitio ſolidi nimia vaſculorum anguſtia rigiditate & pro ratione diſtenſione, vel vitio fluidi viſcoſitate acrimonia aut quantitate adaucta peccantis, vel vitio quorundam ſimul: quare quæcunque machinam humanam præprimis in partibus remotioribus & commiſſuris artuum taliter diſpouunt *cauſæ remotæ* erunt denominandæ; ſimilia ſunt plethora, quæ vaſa nimis diſtendit, & diſpoſitionem inflammatoriam ponit, temperamenta, quorum hoc ob vaſorum nimiam laxitatem, & ſimul humorum lentorem, illud ob vaſorum ſtricturam, & humoris ſpiſſitudinem peccare poteſt: frequentius ad huc qualitas humorum depravata ſeu | cacochymica præprimis acris ⊖na, ubi particulæ humorum ſphærica in anguloſam ſub titulo acrimoniæ mutantur naturam, quæ dein ſpiculis ſuis

par-

partibus ſumme ſenſibilibus nervoſis infixæ prædictam moleſtam ſenſationem creant, cujus porro generis & genii acrimonia illa ſit, multi diſſentiunt, alii hoc, alii illud ſal eſſe prætendunt, nos tartareum adſtruimus, ita tamen, ut acidum quoad figuram ſuam ſcindentem ſpiculatam haud ſecus ac in tartaro prævaleat; interim tamen non negamus pro diverſitate morbi & ægrotantium temperie, & pro cauſarum antecedentium diverſa indole ſerum magis ſubtili volatili acredine vel fixiori eſſe imbutum, inde etiam arthritis variat, & fixa vel vaga emergit, atque dolor magis vel minus ardore, inflammatione infenſus eſſe ſolet: Nec inter remotas cauſas oblivioni mandanda eſt hæreditaria diſpoſitio quæ a primæva laxiori vel ſtrictiori fibrillarum articularium organiſatione pendet, quibus ſe facilius humor ſalſus lymphaticus inſinuare, ibique ſtagnare valet, ſive per acre podagricum ſemini maritatum a parente, ſive a matre per ſanguinem cremoremque lacteum arthritico nævo mulctatum transplantatus fuerit; hoc quod fiat novimus omnes, quomodo fiat ni fallor necdum in ſchola medica pro dato habetur, eo minus nobis in ſpecimine determinandum erit; tandem omnium frequentiſſime originem huic morbo ponit indigeſtio viſcerum non ſatis attenuantium aſſimilantiumque aſſumpta in indolem humoris noſtri laudabilis, cui tam quantitas quam qualitas præmemorata læſa humorum debetur.

§. VII. Dum examini ſubjicimus *cauſas procatharcticas* accuſamus *ſex res non naturales*, quæ ſuo uſu finiſtro huc quamplurimum faciunt & quidem primario ipſum *aërem*, qui qualitate ſua frigida calefacto corpori ſubito admiſſus perſpirabile ſanctorianum, impedit, unde vere, & autumno maxime recrudeſcit morbus; vel qualitate ſua calidiori ſolida debilitat, fluidiora diſſipat, remanentibus craſſioribus ſalinis: ſimile quid confert aër humidus pluvioſus nebuloſus, vel diverſis miasmatibus exhalationibusque inquinatus.

Alimenta nimis exquiſite compoſita & varia eduliorum genera juxta hodiernam artem culinariam ex diverſiſſimis conflata plus valent ad ſimiles producendos morbos, quam natura & medicina ad eos ſanandos, guſtus exquiſitos advertit ſapores, grata varietas ſpecioſe ornata blanditur oculis, aromatum ſaliumve admixtorum effluvia ad olfactus organum pertingentia mentem repleto licet jam ſtomacho ad novam gullam excitant, & quod palato gratum inveniunt minime obeſſe poſſe firmiter ſibi perſuadent; aſt exinde oritur repletio, ventriculo & naturæ bellum movetur tam in quanto quam in quali: moles enim nimia excedit vires digeſtionis cuique limitatas, inde cruditas, & morbi ſpontanei: qualitas vero alimentorum eaque cruda coctu

B diffi-

difficilis, vel acris ſalſa aromatica in humoribus cruditatem viſcidita tem ſimilem acrimoniam ſuppeditat, idem eſto judicium de diurnis, tum nocturnis, aut intempeſtivis commeſſationibus de condimentis ſacharatis lactucis piſcibus ſale marino impraegnatis & pluribus aliis, quibus hodiedum ditiorum tabulæ magnopere ſuperbire conſueverunt, non ſecus, ac ſi quotidie convivia eſſent paranda. Nec minorem noxam infert nimius, & intemperans vini potus, qui præ omnibus materiam arthriticam podagricam progenerare valet, quoniam copioſi tartari gignendi elementis abundat, licet alia vina magis, alia minus iis ſaturata deprehendantur: hinc vina nova imprimis, & recentia, e quibus tartareæ molleculæ nondum præcipitatæ fuerunt, ut & acida, acido-auſtera ex uvis non ſat maturatis preſſa præ reliquis, cacochymiam acido-tartaream humoribus ingenerant, quæ dein mater & nutrix fit arthriditis: habita penes conſideratione ſoli, illa vina, quæ e terra pingui argilloſa, & limoſa proveniunt, ad fovendum quoque hunc affectum paratiſſima obſervantur, cujus generis præcipua ſunt Auſtriacum, Hungaricum, ex gallicis campanienſe, ex Italicis de monte pulicano, quæ adeo arthritidi infenſa referuntur, ut qui pridie largius illis ſe repleverant, inſequente ſtatim die dolores in artuum ſentiant juncturis: vina cæteroquin intemperanter ſumpta, imo cereviſia, & liquorum ſpirituoſorum abuſus organorum chylificantium tonum deſtruunt, digeſtionem turbant, particulisque ſuis volatilibus ad cerebrum demiſſis fluidi nervei craſim & puritatem invertunt, unde organorum, quæ motibus præſunt, robur notabiliter minuitur, ut propterea depurationi humorum deſtinata viſcera minus commode, quæ e vinis noxia ſuſcipiuntur, ſe & excernere queant; ſic non venit ex pota ſæpe ſalute ſalus.

Si *motum* contemplemur localem non parum nocumenti confert ad arthriticos generandos morbos otiaſa, & ſedentaria vita: hinc evenit, quod litterati & perdocti viri, & accedente luxuria eminentioris dignitatis perſonnæ præ ruſticis, mercenariis, mechanicarumque artium magiſtris crudeli iſthoc morbo ſæpe cum ſævitia tententur; nam quo plus ingeritur, eo minus digeritur, atque multæ in corpore cumulantur cruditates, quibus niſi vegetus quottidianus motus & corporis exercitium ſuccurat, cujus ope ingeſta comminuantur, ſe & excretiones pro neceſſaria fluidorum depuratione promoveantur, cauſa arthritidis firmatur.

Somnus æquiſſime ſubjungitur otio, utpote quandam cum hoc affinitatem nactus, qui nimium protractus varias œconomiæ animali parit

in-

injurias, ſenſus reddit hebetes, digeſtionem turbat, ac corpus univerſum langueſcit.

Evacuationes aſſuetæ ſuppreſſæ, ut hæmorrhagia narium, hæmorrhoides fluentes, in ſexu ſequiori purgationes menſtruæ, perſpiratio ſanctoriana, urina debito parcior, fluxus alvi quibusdam familiaris non debilitans præpoſtere prohibitus, ſolitæ ſanguinis ventilationes intermiſſæ in excitando, & fovendo morbo præſenti plurimum valent: item evacuationes nimiæ naturam debilitantes, & impedientes regenerationem boni ſucci nutriticii, uti venæſectiones nimis frequenter repetitæ, purgationes inconſultæ, & ſimilia, quæ privando corpus ſuis homogeneis humoribus varias cacochymias inducunt: cauſarum princeps immoderata venus, ab hac arthriditem facile produci obſcurum non eſt, præter ſpirituum enim diſſipationem, ſanguinem ſpecifica quadam acrimonia, & lympham acore nervoſo generi inimiciſſimo offendit, unde hoc in bello heroes arthritico plerumque notantur typo, dum Mars reſiduum virium Bellonæ offert.

Ultimatim tandem arthritidi calcar imponunt *animi pathemata*, & maxime ex iis triſtitia, aut furor, nam in triſti animi affectu actio cordis adeo, eſt immunita, & reſiſtentia ſolidorum adeo adaucta, ut vix ad extremos fines humores vitales deferantur, quod demonſtrat pallor, frigus, quo ſolent affici, emaciatio totius corporis, digeſtio fere abolita, ut quandoque immemores ſint neceſſitatis reficiendi corpus, ex quibus facile concipimus ſtagnationes in vaſculis ligamentorum naſci, & ita cauſam proximam generari: non minus a contrario vehementior animi commotio, & ira ipſos arthriticos paroxyſmos ſubito ſæpe cum febrili quodam motu excitat, & ideo completa cum vino & venere nuncupattur cauſa juxta tritum illud adagium, temulentus Bachus, & Ceres liberalior obſtetricante ira infelici generant conjugio abortivam prolem arthriditem.

CAPUT II.

De Arthritidis Semeiotica, id eſt, ſignis diagnoſticis, & prognoſticis.

§. I.

PRæmiſſis morbi cauſis in genere, & ſpecie ſua denominatis ordo exigit, ut ſymptomata hic loci adferamus, quibus arthritis præſens noſcitur; homo dicitur corripi arthritide, quando in articulis triſtis, & dolorifica ſenſatio perſentitur, & functio articulorum ſecus cum facilitate, oblectamento, & quadam conſtantia peracta cum difficultate, impedimento, & quadam moleſtia exercetur: quare læſam articulationem dolorifico terebrationis ſenſui junctam *ſignum arthrtidis diagnoſticum*, & quidem pleno jure *pathognomonicum* appellamus; quam theſim ſeries ſubſequentium ſymptomatum ſuffulciet.

§. II. Regulam ſequentem morbus tenet, & hæc ejus ſigna eſſe conſuevere: dolor interdum repente irruit in articulos, ſæpius ſenſim accedit, & tunc inſolita corporis laſſitudo, artuum tenſio, torpor & formicationis ſenſus, ſomnus inquietus, præcordiorum anxietas, cruditas, digeſtio tardior, vel voracitas præternaturalis, adjecta inſimul conſtitutionis anni, epidemiæ, cauſarum procatharcticarum ratione dolorem hunc articularem tanquam prodromi in propinquo eſſe ſignificant; eo magis, dum nares obſtruuntnr, aut conſuetus artuum brevi afficiendorum ſudor ſupprimitur, quod plures hoc morbo correpti, ut certum præſagium ſibi divinant.

§. III. Verum enim vero quemadmodum in inflammatione vaſorum primi generis dolor contingit varius, ſic quoque inflammatis vaſis ſecundi generis dolor vel pulſatorius, vel punctorius, dilacerans, ardens, rodens perſentitur, nam a vaſorum repletione, & obſtaculo circuli naſcitur dolor pulſatorius, ſic arterias, quas ſanus pulſare non ſentit, ſentit tamen in parte affecta, imo ipſæ venæ impedimento poſito elevantur, exemplo eſt vena ſplenica hepate obſtructo, vena jugularis poſito in ſubclavia impedimento toties elevari viſa reperta, dum vero globuli in extremitatibus vaſorum plane immeabiles hærent, globuli ſubſequi a tergo urgente vi cordis impulſi in ſtagnantes priores globulos, & ipſum vas fortius allidunt, atque ſenſus punctorius uti in pleuritide præſentatur: imo majori obſtaculo adhuc poſito, & plane non cedente particula obſtruente fortis impulſus in ſola vaſa ad diſſo-

diſſolutionem agit, & dolor dilacerans quaſi perſentitur. Ubi deinde liquida inter ſe, & ad ipſa vaſa atteruntur, ardens dolor neceſſario ſequitur; frequentius accedit acrimonia membranæ nervoſæ inimica, quæ mucum abradit, ſtimulat atque dolorem rodentem inducit. Cæterum ſit quiscunque ex his dolor increſcit ſenſim, decreſcit denuo, plures juncturas ſimul, vel ſingillatim ſpeciales quasdam infeſtat, noctu autem maxime ingraveſcit; in juncturis penes a vaſis præternaturaliter repletis tumor, a dilatatis vaſis lymphaticis errore loci globulis rubris impulſis rubor, & ab attritu valido ardor percipitur, quæ ſymptomata ſub conatu movendi evidentius invaleſcunt; interdum flaveſcens tumor, dum in vaſis ſeroſis, vel lymphaticis naturaliter non flaveſcentibus ſerum ſtagnans hæret, apparet, quandoque vero pallidus, dum non ſerum, ſed lympha copia aggeſta eſt; ſæpe nec tumor, nec rubor externe apparet, exinde tamen non arguendum, ſtaſim nullam adeſſe inflammatoriam, nam vaſcula minima profundius ſunt inflammata, quæ non augent ad ſenſus molem partis affectæ, dolor tamen tanquam ſignum ſtaſis major eſt, quam dum vaſa majora tument: febris ſæpe viget, & inſtar catarrhalis rheumaticæ cum horrore, frigore inæquali per membra, veſpertino potiſſimum tempore divexat, appetitus alimentorum nonnunquam cum vomitu penitus eſt proſtratus, deſiderium vero potulentorum præternaturaliter adaugetur, vires ſunt dejectæ non raro cum lipothymia dyſpnœa, corpus ad motum fit impotens, præcipue partes affectæ ob exortam inde doloris exacerbationem, ſomnus vel omnino ceſſat, vel ſi ſub aliquali remiſſione contingit, frequentibus interrumpitur pavoribus, pulſus pro diverſitate febris, & motus humorum frequentior, vel tardior, debilis vel vehemens perſentitur, alvus frequenter adſtricta eſt, urina vel a ſpaſmis tenuis pallida, ſecus rubra ſedimentum tartareum poſt refrigerationem deponit, lateribusque vaſorum affigit, quod probe a ſabulo calculoſorum diſcernendum, quippe quod urina emiſſa mox in fundo colligitur, nec lateribus adhæret: atque hæc communia ſunt in arthridite.

§. IV. Nunc propria magis, dum ad certas partes deponitur, ſequemur, materies hæc arthritica vere & autumno maxime mota frequentiſſime, & omnium primo in artus inferiores deponitur, ibique ſub titulo ſolemnis *podagræ* vim ſuam in pedibus exſerit, ingeritque tormentum præ omnibus phalangi primæ pollicis pedis, dein tarſo, metatarſo, tandem malleolis noctu maxime appropinquante, mox ſequitur rigor cum horrore, & aliquali febricitatione, atque præmemora-

tis ſtipatur ſymptomatibus, nimirum ardore, tumore, rubore, dolore &c. qui dolor primum remiſſior gradatim intenditur, donec tandem ſub noctem ad ſtatum pervenerit, ubi cum idea tenſionis violentæ, ligamentorum terebrationis, dilacerationis, vel coarctationis ita vivum, & exquiſitum ſenſum parti affectæ infert, ut miſerandus æger nec linteorum ſuperincumbentium pondus, nec cubiculi a fortiori ambulatione concuſſionem ferre valeat, quidni muſcas volitantes, ne allidant, abigi clamat, & ipſos auxilium ferentes, ac ſi inſidias ſtruerent, metuit, in hoc cruciatu partem Nycthemeri tranſigit, & ex jactatione majus ſemper doloris augmentum ſentiens, ut ſtatua auroram exſpectat, qua appropinquante doloris ſedatio contingit, atque æger poſt aliqualem materiæ peccantis modicam digeſtionem, ac difflationem a dolore reſpirat; jam leni madore perfuſus ſomno concedit, a quo evigilans dolore multum imminuto partem affectam recenter tumore occupatam cernit, cum ſolum antehac (quod in omnibus podagricorum paroxyſmis ſolemne eſt) inſignior tumescentia venarum membro vexato intertextarum ſe in conſpectum dederat; ſequente die forte etiam ad biduum triduumve, ſi materia podagræ generandæ apta fuerit copioſior, dolet & tumet nonnihil pars affecta: intra paucos dies alter pes eodem torquetur dolore, quo is, qui prior doluit, parum liberatur, easdemque hic excitat tragædias, quas prior in altero pede: quandoque etiam primis diebus, dum materia peccans adeo exuberat, ut ei capiendæ pes unus impar ſit, utrumque ſimul pari vehementia fatigat, hoc tamen ubique ſervando, quod dolor adveſperascente die recrudeſcat, levetur autem ſub diluculo: Neque cenſendum eſt, quoties quis cum hoc morbo ad plures hebdomadas, vel menſes fuerit conflictatus unum illum paroxysmum fuiſſe, ſed ſeriem potius, & catenam plurium, quorum poſterior quilibet priore, & mitior fuit, & contractior, donec materia penitus ſubacta, & abſumpta æger priſtinam obtinuerit ſanitatem: Hoc modo podagra regularis phœnominis genuinis propriisque ſe oſtendit, ubi porro materies arthritica, vel ipſa jam podagrica aſcendens genua, fœmora, iſchia, lumbos, manus, carpos, cubitus, verticem, aliasque regiones occupat, eas quemadmodum pedes diſcruciat, & nullā differentia, niſi ratione ſubjecti quod occupat, intercedit, uti in diviſione arthriditis ſuperius demonſtravimus.

§. V. Quod autem humor vitioſus rarius inter omnes articulos, ſed duntaxat certis in partibus colligatur tono & robori ibi deſtructo adſcribendum eſt, ſic vitam ſedentariam agentibus coxendix podagra,

equi-

equitibus porro frena firmiter tenentibus toties chiragra: quod vero pedes ſint genuina & frequentiſſima ſedes hæc primo ſubeſſe ratio videtur, quia a corde remotiſſime diſtant, & plus frigori humido quam aliæ partes expoſiti ſunt, ſecundo quia a calceorum preſſione, ac ſtrictura copioſi ſtubuli arterioſi, & venoſi minimi, per quos humor circulare & redire debet a ſuper impoſito pondere univerſi corporis valde comprimuntur, tertio quia lentior, & tardior per partes a fonte circuli remotas humorum peragitur circulatio, accedit quando pedes dolor affligit cogimur quieſcere ne malum deterius fiat, quies autem ulterius nocet, dum humores ob motum ceſſantem ibi magis tenentur ſubſiſtere, & ita imbecillitas augetur, aſt in ipſis pedibus ſedes fere ſemper eſt articulus major majoris digiti pedis dico prima pollicis junctura hæc enim fert totum corpus & eſt pars remotiſſima maxime preſſa, hinc ſi regularis fit ibi ſemper incipit podagra & fruſtra clamant ſe eſſe podagricos ubi dolores alibi invaſerint, geſtiunt enim ſuperbire illo encomio, quod podagricis dat lucianus illos vel divites vel ſapientes dicens.

§. VI. Prognoſim quod concernit in genere concludere licet arthritidem morbum eſſe ex chronicis celebrem curatu ſumme difficilem, ejusdemque triplicem eventum pronuntiamus, terminatur enim inſtar inflammationis veræ vel in ſanitatem vel in alium morbum, vel in mortem, qui diſpar exitus diverſitati anni, ſexus, ſubjecti, ætatis, temperamenti, gradus, durationis debetur; nam quoties materia arthritica ſeu podagrica per vim vitæ, & exhibitam appropriatam medelam ſoluta ſubacta, & humoribus ſanis aſſimilata fuerit, vel ſi id obtineri nequit, perſpirati ſpecie aut aliæ excretionis ſalutaris, e corpore elliminatur reſolutio contingit, & omnium optimo feliciſſimoque ſucceſſu in ſanitatem abit, quod accidit, ſi arthritis ſeu podagra fuerit acquiſita recens nec adeo crudelis, nec inveterata, hæreditaria vel congenita, ſi oborta fuerit in ſubjecto juvenili ſtantibus requiſitis viribus, nec labefactis viſceribus organisve articulorum, ſuperveniente inſimul æſtate, ſi æger ſapienti medicorum conſilio obedierit facile alvum habuerit, & diætetice victitaverit; hanc noſtram ſententiam confirmat divus Hippocrates inquiens 2. prorethr. de podagra: *Qui vero juvenis eſt, nec hæreditaria labe inquinatus, & circa articulos nondum callos habet concretos, & accurate vivit, & laboris amans eſt, & alvum bonam habet, hic ſane Medicum intelligentem nactus ſanari poterit.*

§. VII.

§. VII. Deſinit in alium morbum, & quidem reſpectu habito ad partem affectam more inflammationis in ſuppurationem, quando nimirum obſtructio magna nec reſolvi potens aditum remediis non permittit, pergit a tergo urgens fluidum vas elongat dilacerat, unde ſolutis vaſis humores ſtagnantes effluunt, qui cum naturæ ſint lymphaticæ ſuppurationem non adeo dolentem nec tam cito in putredinem abeuntem excitat, niſi per aperturam aëri aditus concedatur, aut calidioribus tractetur, porro dum vaſa cum humoribus concreſcunt nodi tophi arthritici indolentes ſcirrhi proprie nuncupandi exoriuntur.

Verum cum morbi fomes nonnunquam partim ob copiam, partim ob ſiniſtrum cauſarum procatharcticarum uſum vel incaute adhibitam medelam in artus libere nequeat effundi, aut adhuc mobilis hærens ad interiora magis revocetur, materies hæc hæterogenea viſceribus periculoſius imminet & tum longa alia rerum facies, alius eſt eventus, novus etenim isque ſæpe pernitioſus oritur morbus, quoniam miasma hoc nunc ad cerebrum ubi cephalalgiam melancholiam, apoplexiam, nunc ad fauces ubi anginam, nunc ad pulmones translatum catarrhum, aſthma, peripneumoniam, phthyſim &c. creat: jam per metaſtaſim rapitur ad ventriculum inteſtina vicinaque viſcera, in quibus innapetentiam, vomitum, choleram diarrhæam dyſenteriam aut pro ratione alvi conſtipationem, obſtructiones, ſthaſes inflammatorias, abſceſſus, ſcirrhos, & quam plurimos alios morbos cauſare ſolet: calculum inſuper renum in quamplurimis parit tum ex eo, quod æger diu ſupinus recumbat, tum etiam quod calculus ejusdem fors ſit materiæ morbificæ, quam litem ego non dijudico & tanquam problema benevolo lectori committo; non raro ſyſtemati nervoſo ſe applicat, & tunc debilitatem aut plane convulſiones ſubito lethales poſt ſe trahit; atque hac methodo arthritis in alios exit morbos, quæ proprie anomala nuncupatur, qui morbi rurſus non deſinunt, vel plane e medio auferunt ægrotos, niſi materies arthritico podagrica de ſe deferbuerit, aut monſtrante natura viam adjuvante arte iterum ad articulos derivata fuerit.

§. VIII. In mortem tandem vergit aut partis affectæ, aut univerſi corporis requiem æternam, & plenariam, pars enim affecta mortificatur, dum ultimus inflammationis exitus gangræna ſubſequitur nam ab acrimonia lymphæ vaſa articularia erroduntur, pinguedo glandularum

calore

calore ſtagnatione citoranceſcens acrimoniam augens ligamenta perioſtium gangrænoſa labe, oſſa cartilagines carie afficit, unde niſi exfoliatione a ſanis partes hæ ſolvantur, quod raro accidit, ipſam medullam putredini aptiſſimam breviter aggrediens toto articulo mortem infert. Dirus vero iſte morbus vitam afflictiſſimam, & jam diu non vitalem cum morte ærumnarum requie feliciter commutat viſceribus a materiæ peccantis incubitu complexuque ita læſis, ut organa ſecretionum præ omnibus vero vitalia non amplius ſuo munere fungi queant, unde ſanguis refertus ſtagnat, materia non jam, ut olim ſolebat in corporis extremitates diſploditur, & ſic cauſa morbi cauſam vitæ ſuperat.

CAPUT III.

De Arthritidis Therapeja & Hygiena, id eſt, methodo medendi.

§. I.

Finem primarium artis noſtræ, id eſt, evitationem doloris debilitatis, morbi, mortis verbo ſanitatis deperditæ reſtitutionem, & recuperatæ conſervationem, ut pro viribus aſſequamur, totus curationis cardo, & methodus medendi in eo nobis conſiſtere videtur, ut morbum adeo implicatum jam ut fixum, jam ut vagum conſideremus, quo facto appropriatæ magis indicationes formari poterunt, & congrua rebelli morbo debellando auxilia melius apparebunt: Quare in arthritide vaga *indicatur* diatheſim inflammatoriam, & ſubſequam ſtaſim revellere, diſcutere, dyscraſiam humorum corrigere, attenuare, aptamve reddere, ut vel ſanis humoribus aſſimilari, vel per congrua emunctoria excerni valeat, dolorem, ſymptomataque ſupervenientia mitigare, tandem vigorem debitum in viſceribus reſtituere. In fixa porro impetum a parte nobili in minus nobilem derivare, ſolida & fluida ita diſponere, ut ſtaſis lymphatica tuto reſolvi queat, aut impetrare, ne obeſſe, & lædere poſſit, ultimo uti in vaga tonum reſtituere, & per prophylaxim debitam reditum præcavere, quæ more ſolito ex triplici fonte *chyrurgico*, *pharmaceutico* & *diæteteco* petuntur.

§. II. *Ex fonte chyrurgico* in omni arthritidis ſpecie tam ad curam, quam ad præſervationem ingens in venæſectione eſt auxilium; ſicuti vero nullum tam excellens datur remedium, quod non perverſo uſu obeſſe poſſit, ita de recta V.S. in noſtro affectu adminiſtratione

ne varias obſervare decet cautelas, quarum præcipuæ ſunt, ut primo omnium Medicus individua probe inter ſe diſtinguat, & an ſanguine potius, quam ſero & impuris humoribus ſcateant, ſolicite inquirat: utut enim in ſubjectis ſanguineis juvenilibus immodico mero exæſtuantibus, impeditis ſalutaribus ſanguinis excretionibus, aut ejusdem aſſuetis ventilationibus neglectis in dolorum ferocia, aut metu vehementioris inflammationis V. S. etiam repetita magno plerumque eſt præſidio, præprimis ſi prævie ante paroxyſmum, aut præſervationis gratia tempore autumnali & vernali, quo periodos recurrere familiare eſt cum judicio revulſionis adminiſtretur; etenim plenitudine dempta redditur liberior circulus, & vitioſi humoris lymphatici ſtagnantis coctio reſolutiove juvatur, ſic ab oppoſito in ſeroſis cacochymicisque corporibus maxime dum repletio, & mala digeſtio adeſt, tutius omittitur, quod idem intelligendum, ſi ætas fuerit provectior, viresque prorſus exhauſtæ.

§. III. Alter ſanguinis redundantiam imminuendi modus ſcarificatione obtinetur, hæc licet raro in uſum vocetur, præcipue tamen locum habet, ubi non in toto corpore, ſed in aliqua parte vitium hæret, ut in arthritide quacunque fixa; præterquam enim, quod in affecta parte humorum minuat copiam, tenſionemque depletis vaſis tollat, inſuper fibras nerveas ad motum excitans, quod ſupereſt ſtagnantis felicius reſolvit, diſcutit, hinc incantamenti inſtar ſæpe iſchiatem ſublatam eſſe docent obſervationes; Quandoque cum cucurbitulis ſola revulſionis cauſa adhibetur, dum in fæminis ceſſantibus menſtruis arthritide tandem divexatis partibus inferioribus frequentius applicantur.

§. IV. Tertius ſanguiſugarum ope peragitur, und ſiquis hæmorrhoidum fluxui aſſuetus, hoc ceſſante penitus, aut ſilente variis affligitur arthriticis pathematibus inſtitutæ V. S. loco, aut ea præmiſſa, hyrudinum ad hæmorrhoides applicatio optime confert, nam his reſeratis ex iliaco trunco nata vaſa ad partes affectas tendentia liberantur: Eadem ex ratione in podagra turgentibus ob tumorem in metatarſo vicinis venis applicati hyrudines ex ipſa parte affecta cruorem ducentes ſtaſim, impetumque ſubſequum minuendo paroxysmum reddunt faciliorem, & longiori intervallo inducias relinquunt, experientia iterata docente.

§. V. Sæpe dum lentor ſimul peccat, vel ſolus ut in cacochymicis ex eodem fonte adhibenda ſunt epispaſtica, veſicatoria, quæ fibras ad motum ſtimulant, & viſcidum phlegma fluxile reddunt, unde ubi motus deficere videtur, his febricula primo oritur, dein motus humorum accelleratus cauſam morbi movet, ut expugnetur felicius: lo-

cum

cum applicationis determinent diſcuſſionis vel revulſionis regulæ, materia enim podagrica introverſa ad locum dolere aſſuetum applicata veſicantia priſtinam revocant minus periculoſam metaſtaſim: audax hoc conſilium atrox dolorum cruciatus ſæpe repudiat, dum afflicto afflictionem addendam non eſſe opponunt, aſt dolor hic priorem obſcurat.

§. VI. Nec medicina hodierna tam eſt egena, ut ex præſenti fonte non plura ſuperſint auxilia, offerunt ſe fomenta, Cataplasmata, vapores, inunctiones, balnea frictiones, enemata. Fomenta plurima & humida & ſicca proſtant, ſæpe ſimplex farina toſta floribus ſambuci chamom. camphora activior reddita ſufficit, ſæpius ex herbis roborantibus reſolventibus vario vehiculo decoctis parari neceſſe eſt: quandoque emollientia ſub forma cataplasmatis rigiditatis præſentia expoſcit: inter fomenta ſpiritus lavendulæ, in quo ſapo Venetus cum pauxillo opii ſolutus digeſtus linteis calidis, applicatus ſæpe mira præſtat in mitiganda dolorum ſævitie, & in eo ſolvens, roborans, ſopiens & blande diſcutiens continetur. Inunctiones ſimplici virtute emolliente, vel roborante pollentes ſpirituoſis miſtæ pro varia ratione arthritidis requiruntur, unde unguentum altheæ, populeonis, oleum amygdalarum dulcium, liliorum alborum, unguentum nervinum, illudque martiatum, aqua anodina pragenſis, anhaldina, ſpiritus lumbricorum, & infinita alia congrua doſi miſta proficiunt. Si cui Emplaſtrum arrideat, huic non ſine levamine ſuaderi poteſt emplaſtrum de hyoſciamo, diaſaponis, diaphoreticum Mynſichti, emplaſtrum volatile Fulleri, nec non antiquiſſimum illud ex mica panis albi, lacte vitello ovi & floribus ſambuci paratum; Quæ omnia ab Authoribus quidem magni penduntur, aſt ſumma cum cautela uſurpanda, vel pro re nata plane intermittenda erunt. Frictiones, id eſt, compreſſiones, & remiſſiones reciprocæ vaſorum pannis aſperis, calidis perfumatis ſacharo, olibano, maſtiche, ſuccino, ſale armoniaco, reſina guiacei &c. item in ſubjectis ſenſibilioribus cum excutia molli, linteis mollioribus quoque peractæ, quæ ſpiſſum & immobilem humorem in motum cientes blande reſolvunt, diſcutiunt, hic locum habent, continuato tamen uſu plus præſtant, quam vulgo creditur. Ultimo refugiunt miſeri tribus, quatuorve pedibus hallucinantes ægri âd artificialia, naturaliave balnea, ex quibus omnium minime ipſis auxilium derogari poteſt; felix noſtra patria Baadenſibus ſuperbit, præparato prius congruis evacuantibus corpore, debitoque cum regimine uſurpatis, Balnea artificialia ex diverſis ingredientibus tum emollientibus, tum roborantibus, imo ſimilibus principiis, quibus naturales gaudent, confici ſolent.

§. VII. Præmiſſus ex fonte chyrurgico ſelectus ſufficere quidem videtur arthritidi medendæ, non tamen ſolus id ſemper præſtare valet; maxime ſi origo mali, ut ex cauſis remotis intelleximus, non tam in ſanguinis orgasmo & copia, ſed in dyſcraſia humorum cacochymica, perverſo vivendi regimine, & ſubſequa repletione quærenda eſt; quare cum jam evacuantibus jam pro ratione alterantibus indigeamus ſponte ad *pharmaceuticum & diæteticum* delabimur fontem: Sentia crudorum vitioſorumque humorum in ventriculo, vicinoque canali enterico collecta, exortaque repletione vera (quam amarities oris matutina, ructus, nauſea, vomitus ſpontanei, appetitus lente ablatus, anxietas, & dolor circa ſcorbiculum cordis denotant) per viam proximiorem ſui ablationem exigit, atque per ipſum ſpontaneum cum euphoria vomitum, ut ventriculus a ſuo onere liberetur, *emeſim* ulteriorem ſuadet: huic indicationi præmitti ſolet *digeſtivum* quoddam ex terreis abſorbentibus, ſalibusque variis paratum, talia ſunt ☉ ♋: 🜃 ſigillata, C. C. S. ▽ parat. ☿ deopilat. arc. duplicatum, ♀rus ☽latus, ⊖ polychreſt. ⊖ abſynthii &c. queïs tutiſſimus ſequitur Ipecacuanhæ uſus ſolius, vel dum viſcidum peccat, tenax fibraque parvo ſtimulo non auſcultat ♀ro emetico acuatæ: Ex eadem claſſe floret ſyrupus emeticus Angeliſalis, & plura alia habito tamen reſpectu ætatis, ſexus, temperamenti, morbi & materiæ educendæ.

§. VIII. Hæc ſi contraindicantur, vel ſi totus tractus inteſtinorum, vaſa meſeraica, organaque humorem homogeneum nutritium præparantia plus ſcateant vitioſis ſordibus emeticorum loco *cathartica ſeu purgantia* per inferiora ſubſtituuntur præcipue vere & autumno præſervationis gratia, hæc non tantum fæculentias varias in primis viis exiſtentes fundunt, & ſub forma liquaminis putridi educunt, verum impactam hinc inde in vaſis, ductibusque materiam morbificam, quantum valent, incidunt, attenuant & ad exitum movent, hocque modo notabilis copia vitioſæ materiæ in morbi pabulum abituræ ſubtrahitur, atque indicata ſubſequa medicamenta non impedita virtute agere poterunt; ex præſenti claſſe occurrunt purgantia blandiora motum ſanguinis non tantopere excitantia, hinc adeo decantatus eſt uſus magneſiæ nitri mixtæ iis, quæ magis ſolvere valent ut ☿ris nat. Diagrid. Magiſterium Mechoac. item ☿ carnachinus, ſpecies diaturb. cum Rhæo, M. P. Cochiæ, Becherian. de ſuccino cratonis, electuarium catharcticum regium Mynſichti, ex fontibus Soteriis ⊖lia catharctica, huc quoque ſpectant

infu-

infuſa Rhabarbarina cum ⊖le ♀ri, mannata ♀ri cremore exaltata, ▽ laxativa, Angelica, vel decoctum antipodagricum; verum hæc ſolummodo locum habent congruo tempore, & obſervatis cautelis neceſſariis, ſæviente enim jam paroxysmo naturam ſeparantem materiam morbificam, deponentemque in articulos turbant in ſuo officio, paroxysmus magis invaleſcit, & in maximum ſæpe vitæ diſcrimen projicitur æger; præſtat igitur ad elutriandum inteſtinorum canalem potius *enemata* ſeligere, quæ ſi fuerint ex ſpeciebus decoct. emoll. vel carminat. addito ſtimulo ex ſacharo, melle aut ſale, vel etiam in parca doſi elect. Benedict. laxat. diacarthami, hyeræ concinnata, injecta dein, ſi quid crudi ſupereſt, evehunt ex inteſtinorum canali, revulſionemque a partibus nobilioribus ſæpe neceſſariam promovent: Enemata vero mere emollientia oleoſa in iſchiate podagra, gonagra inſtar anodynorum agunt, dum a ſimilibus enematibus nervus iſchiaticus ex interſtitiis vertebrarum lumborum exſurgens fovetur.

§. IX. Si verum uti veriſſimum eſt, quod ſanguinis ſerum impurius ex tranſpiratione ſæpe prohibita ſuppreſſum cauſam antecedentem, & materialem ponat arthritidi, princeps medentis debet eſſe intentio ac cura, ut placidam continuam, & non interruptam ſuo conſilio, & auxilio procuret *diaphoreſim*, hac enim liberiori reddita, vel ea, quæ ſecundum naturam ſit reſtituta, materies in ſthaſim prona, excitans dolorem ſenſim attenuatur, & per congrua emunctoria diſflatur, eo magis, ſi ob individuam fere ſemper comitem diatheſim inflammatoriam, febrilemque motum attemperatis diaphoreticis ⦶sa ⅋na miſceantur: Præſtat ejusmodi medicamenta mane, & vesperi in lecto cum expectatione blandioris ſudoris exhibere, huic ſcopo præ omnibus inſerviunt ⅋. lapid. vel ☉ ♋, unicorn. foſſil. C. C. uſtum, vel philoſophice pptum conchæ ppr. ♂ium diaph. vel ejus ceruſſa, ſuccinum ⅋ris adjecta ſufficienti quantitate ⦶ri puri aut artificialis, & plura alia mane, & vesperi adæquata doſi uſurpata; ad fluiditatem humoribus majorem conciliandam infuſum Theiforme ex herba betonicæ, C. B., Scordii, Veronicæ, chamædryos ceu ſpecificæ, floribus Bellidis, Rhæados, primul. veris Raſur. C. C. ſem. aniſi ✳ti & ſimilibus pluribus ſuperbibere decet: prædicti ⅋res, vel etiam ⅋is lumbricorum compoſitus, ⅋ abſorbens anodinus diſpenſatorii noſtri cum ▽is diapnoicis, & leni anodina virtute conſpicuis in forma MRæ uſurpari ſolent, tales aquæ quamplurimæ in officinis proſtant, ut ▽ C. B., C. M., Galeg. tiliæ Paralyſeos ceraſorum nigrorum, totius citri, e typhis cervo-

rum, ſcabios. ulmariæ &c. addito ſucco citri, vel edulcorationis cauſa ſyrupo ✠tatis citri. His tamen omnibus palmam præripit, non ſatis exaltanda MRa illa Hoffmanniana, quæ non ſolum ex prædictis ▽is ☿bus diaphoreticis & ☿ri conflata parem præſtat effectum, ſed ob admixtum acetum, quod cum lapid. ♋ in mediam abivit naturam peculiarem incidentem reſolventem, ac per blandam diaphoreſim diſcutientem virtutem poſſidet: Ad obtinendum feliciorem ſanitatis ſucceſſum oportet pro potu ordinario decocti diluentis, temperantis, perſpirationemque promoventis liberaliorem uſum commendare, ut eſt decoctum hordei, avenæ, ſerum lactis ipſum, aut concinnetur quoddam decoctum ex rad. ſcorzon. cichorei, glyzirrhizæ, graminis, ſarſapar. chinæ, liquirit. ligno ſaſſafras, viſco quercino, cortic. citri, Raſura C. C. ſem. fæniculi, & pluribus ſimilibus aliis: Magni tandem penduntur emulſiones præcipue ſubjecto ſicciore, & ſalium prædominio exiſtente ex ſemine cannabin. papav. alb. 4. frigid. maj. amygdalis additis abſorbentibus terreis paratæ, præterquam enim, quod emulſa humores diluant acrimoniam involvant addita terrea abſorbentia ut lap. & ☉ ♋ conch. ppt. teſtæ ovorum, aut oſſ. calcinata, ut dens apri, hypopothami C. C. vel ebur. ſine igne paratum acidum abſorbendi, infringendi, ſudoremque blande proliciendi vi pollent.

§. X. Superſunt *roborantia* inter hæc duo præcipue in arte habemus, quæ univerſo corpori deperditum tonum & robur reſtituunt martem nempe, & exercitium, his aliqui corticem peruvianum adjungunt, aſt in præſenti præcipue locum habent quæ ventricum roborant, qui hic ſæpe ob indigeſtionem & depravatam chylificationem accuſatur, quare ☿ ſtomach. Birck. ☿ trageæ ſtomachalis, elixirit ſtomachale temperatum eſſentia abſynthii & plura ex extracto cichor. chamædrios, card. bened. abſynthii arte parata; item martialia liquor viſceralis, TR. ♄tis pomat. potiſſimum autem ▽æ martiales ſoteriæ ſpadanæ, quæ & ventriculi & omnium viſcerum tonum plurimum reſtituunt, hæc autem motu in actum deduci debent, qui ſolus plurimum roboris addit, patet ex eodem parente natis filiis, unus exercitio applicatus evadit hercules, alter vitæ ſedentariæ deditus manet tenella puella.

§. XI. Hiſce noſtris indicationibus nos ſatisfeciſſe credimus, ſupereſt adhuc ut ſymptomata ſupervenientia mitigemus & per debitam

pro-

prophylaxim hujus morbi atrociam infringamus, reditumque præcaveamus: nihil periculoſius ſupervenit huic morbo, quam ubi materies arthritico podagrica ob ſupra memoratas cauſas verſus interiora retroacta fuerit, tunc ſine ulla mora tentanda eſt ejus prior in juncturas expulſio, ergo ſtatim applicentur veſicatoria fœmoribus, locisque dolere aſvetis fermentum panis cum ſem: ſinapi ⊖le ✝to, aut epiſpaſtica ex gummi galbano maſtiche, fiat deambulatio ſi vires admittunt, vel motus magnus in rhæda, ſi æger ferre poterit: in caſu etiam jubendum, ut æger ſe in lectum ponat, dein curandum prædictis blandis diaphoreticis ut parum ſudet, paucis ex poſt horis clamant ægri dolorem pedum ſimulac pes dolet caput pulmones &c. liberantur & ſolvitur morbus: nihil porro frequentius, quam intollerabilis dolorum vehementia accedit, quæ ſi patientiam ægrotantis ſuperaverit cum peſſimis quoque ſymptomatibus haud abs re erit granum unum aut alterum laud. opiat. thæriac. cæleſt. thæriac. androm. req. Nicolai M. P. de cynogloſſa ſuppeditare aut emulſionibus paregoricis diacodium. Ad fontem nunc progrediamur diæteticum.

§. XII. Sex res nonnaturales ſiniſtre adhibitas tanquam cauſas procatharcticas adſtruximus, aſt in legitimo eorum uſu *prophylaxim* ponimus, *aëris* igitur qualitates probe ſunt obſervandæ præprimis frigido humida, & ſubitæ viciſſitudines ſummopere evitandæ, ſeligatur penes aër purus ruralis, qui chaos herbarum fragrantium eſt, ſemper renovatus, cui contrarium in urbibus deprehendimus. In *cibo & potu* mediocritas eſt obſervanda, ut nec plus alimenti ingeratur, quam digeri poterit, ac proinde morbo fomes ſubminiſtretur, nec e contra a nimia abſtinentia partes defraudentur ſuo nutrimento, quo earundem vigor, & robur debuiſſet ſuſtineri, unde etiam magis debilitarentur. Dyſpepta parcius ſunt comedenda, quam Eupepta, unica etiam ciborum ſpecie ſingulis paſtibus veſcendum arbitramur, cum varia ſimul ingeſta plus ventriculo moleſtiæ faceſſant, quam unicum, quod iſta omnia quantitate exæquat; ſervetur tempus certum cibandi: cæterum dempta carne pro libitu comedat, modo nec acria nec ⊖le & aromatis condita ſint, quæ licet coctionem non lædant, nocent tamen quatenus morbi fomitem exagitant: liquores quod ſpectat optime cenſentur ii, qui neque ad vini generoſitatem aſcendunt, neque ad aquæ debilitatem deprimuntur, hinc neque magna copia inebriare, neque vigore ſuo ventriculum lædere poſſunt; unde vinum exulet in aſſvetis tamen, & ni-

mia

mia debilitate ventriculique, attonia, plane derogari non poteſt, præcipue ſi medietate aquæ miſceatur, potus proin ſit cereviſia tenuis optime defæcata, melius adhuc aqua ſimplex: ſic inopia ſua feliciores ſunt illi, quam alii ſua copia & luxu, decoctum ex hordeo excorticato, & reliqua ſupra memorata pro potu ordinario uſurpata maxime proſunt: Diæta e ſolo lacte crudo ſive cocto exulantibus cæteris omnibus, niſi quod panis aliquid ſemel forte in die adjiciatur ſæpe in uſum vocari ſolet: Profuit hæc quamplurimum præ cæteris hujuſce morbi præſidiis, quamdiu ne latum unguem ab ea diſceſſerint. Quamprimum vero ad ſanorum diætam ut ut lenem mitemque ſeſe receperit podagra confertim reverſa ægrum pejus longe quam antehac vexare ſolet, labefactatis enim hac methodo naturæ principiis, æger jam morbo pellendo magis impar redditur, unde & periculoſius invadit & diuturnior morbus. Qui igitur huic ſe methodo tradere cogitat, primum ſerio ſecum perpendat, num valeat per omnem vitam in eadem perſiſtere: quod tamen fortaſſis penes eum non erit, ut ut propoſiti tenax fuerit, pari potius cum fructu ad tempus ſerum lactis ſimplex aut tamarindinatum aut cum ▽ is ſelteranis mixtum uſurpari poterit. Ad imbecilitatem corrigendam *motu* infirma membra exercere decet, ſic ut mutuo articulorum attritu requiſitus ipſis calor excitetur, ſimul ut durities quædam contrahatur ad ſuſtinendas rerum foris occurſantium injurias: exercitatio pro viribus convenit cuique ſua, ita profecto exercendum membrum eſt, quantum fieri poteſt, nimirum ſenibus quia parum ſupereſt virium nonniſi leviſſimæ dimotiones exercere decet, juvenes contra, utpote majore robore naturæ fulti labores & conamina tuto diutius ferunt & quod maximi momenti eſt a jugi ac pertinaci exercitio occuritur totali artuum ad motum impotentiæ, quæ haud paucis accidit, dum enim cruciatu longiori quieti indulſerint & quoties dolor genua occupaverit maxime crura nollunt extendere, tandem pedum ac crurum motu per reliquum vitæ tempus tam in quam extra proxismum orbantur. *Somnum* quod concernit æger maxime tempore hyemis lectum mature petat, nihil enim magis vires ſubruit, quam noctu vigilare, quod quilibet valetudinariorum expertus affirmabit. *Excreta & retenta* tam æger quam Medicus habeat ſemper perſpecta, ne modum & naturam excedant, ſed alterutrum ſua lege procedat oportet: ante omnia venus immoderatior fugienda nam optimos humores deperdere facit, & corpus reddit imbecile. . *Animi tranquillitas* omni ope eſt ſtabilienda cum perturbationes omnes, applicationesque ad res ſerias

rias

rias & ſtudia ad diſpendium ſpirituum & podagræ incrementum plurimum tribuant, prudenter itaque meditetur æger ſuæ mortalitatis conditionem, frenumque imponat affectibus ſuis, & omni temporali ſollicitudini uti meæ diſſertationi imponatur.

F I N I S.

SYNOPSIS DISSERTATIONIS.

Theſis 1ma.

ARthritis dolor articulorum inflammatorius eſt vaſorum ſecundi ordinis.

2da.

Subjectum ejus eſt fabrica lubricandis, ligandisque juncturis dicata.

3tia.

Dividitur primario Idiopathicam, Symptomaticam & Anomalam, de Idiopathica maxime eſt ſermo, quæ rurſus accidentales plurimas patitur ſubdiviſiones.

4ta.

Cauſa immediata conſiſtit in minitata ſolutione continui, & diſtenſione fibrarum nerveo muſculoſarum ob lymphæ ſthaſim, acrimoniam, aut impetuoſum motum ab Anatomoſi, Diapedeſi, vel Diæreſi.

5ta.

Quantitas, vel qualitas humorum peccans, diſpoſitio hæreditaria, vel peculiaris fluida inter & ſolida idioſyncraſia cauſam ponit remotam.

6ta.

Sub cauſarum procatharcticarum numero comprehenduntur errata in ſex rebus non naturalibus.

7ma.

Dolor circa juncturas cum ſenſu terebrationis utpote ſignum pathognomonicum infallibilem exhibet diagnoſim, conſentientibus ſimul ſignis ſyndrevnoticis in genere, & in ſpecie ſua denominatis.

8va.

Morbus eſt ex chronicis celebris, hæreditarius, inveteratus, curatu difficillimus, deſinit in ſanitatem vel in alium morbum, vel in mortem.

9na.

9na.

Tenet indolem inflammationis veræ.

10ma.

Indicat ſui ablationem, ſymptomatumque mitigationem per triplicem chyrurgicum, pharmaceuticum & diæteticum remediorum fontem.

11ma.

Venæſectio in morbi principio conſentiente temperamento celebrata, & repetita ſæpe divinum eſt remedium, ejus loco cucurbitulæ ſcarificatæ, aut hirudines ad venas hæmorrhoidales ſubſtitui ſolent.

12ma.

Nec prætereundus eſt celebris epiſpaſticorum, & veſicatorium uſus.

13tia.

Topica externa quandoque plus obſunt, quam quod proſint, ideoque caute adhibenda.

14ta.

Purgantium cum cautela habeatur ſelectus, & non niſi leniora vocentur in uſum, idque concocta jam materia, queis commode enemata ſubſtituuntur.

15ta.

In principio vero morbi ſtante repletione tutius propinabitur emeticum.

16ta.

Diaphoretica blandiora urgente dolorum atrocitate intermixtis anodinis interne optime oppugnant arthritidem.

17ma.

In- & extra paroxyſmum alterantia, abſorbentia &c. uſurpentur: diluentia habita ratione temperamenti ſubjecti ex decoctis juſculis alleviant morbum.

18va.

His præmiſſis roborantia tum univerſalia, tum particularia ut ſtomachica locum habent.

19na.

Specificum ignoratur, cognitæ cauſæ oppoſitum optimum.

20ma.

In convenienti diæta non minus ſpei, quam in medicamentis ponenda eſt: Cætera mitto, quæ videri poſſunt in decurſu exigui mei conaminis.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA DE CONVULSIONE UTERI, SEU ABORTU, EJUSQUE PRÆSERVATIONE,

QUAM SUB DIVINIS AUSPICIIS

DECRETO, AUTHORITATE, & CONSENSU

Perilluſtrium, Magnificorum, Spectabilium, Prænobilium, Excellentiſſimorum, atque Clariſſimorum Virorum &c. Perilluſtris, Magnifici, Spectabilis, ac Excellentiſſimi Domini Univerſitatis RECTORIS; Perilluſtris, Spectabilis, ac Excellentiſſimi Inclytæ Facultatis Medicæ Domini DECANI; Venerabilis Domini SENIORIS; Sac. Cæſ. Regiæque Majeſtatis DD. Conſiliariorum, Archiatrorum; nec non DD. Profeſſorum, adeoque totius Ampliſſimi DD. Medicorum Collegii,

IN ANTIQUISSIMA, AC CELEBERRIMA

UNIVERSITATE VINDOBONENSI,

Pro conſequendis ſummis in Arte Medica Honoribus, & Privilegiis publicæ DD. Doctorum Diſquiſitioni ſubmittit

IGNATIUS FRANCISCUS DIETMANN,

Auſtriacus Viennenſis, AA. LL. & Philoſophiæ Magiſter, Saluberrimæ Medicinæ Baccalaureus Formatus, & pro Suprema Laurea Candidatus.

Diſputabitur in publico DD. Medicorum Collegio, Die 22. Menſis Septembris horis poſt meridiem conſuetis Anno M. DCC. XLIX.

Typis Franciſci Andreæ Kirchberger, Univerſitatis Typographi.

DEO
ET
PATRIÆ.

CAPUT I.

De Convulſione Uteri, ſeu Abortu theoreticè Conſiderato.

§. I.

ABortus, quaſi *non ortus*, aut fruſtra *ortus*, aut *ortus error*, a ſubſtantivo *ortus*, & præpoſitione *ab* deducitur. Dicitur & *Aborſus* & *Abortio*. Inter utrumque vero NONIUS MARCELLUS (a) diſcrimen conſtituere laboravit, cum *aborſum* dicat, qui primis fieri ſoleat menſibus, *abortum* autem, qui prope pariendi tempus. Aſt enim vero abortum, & partum præmaturum confudit. Græcis nominatur frequentiſſime *ἄμβλωσις*, *ἐξάμβλωσις*, *ἀπὸ τȣ̃ ἀμβλεῖν*, *languere*, item *φθορὰ*, *ἀποφθορὰ*, *διαφθορὰ*, *ἀπὸ τȣ̃ φθείρειν*, *corrumpere*. Alias & *ἔκτρωμα*, *ἔκτρωσις*, *ἐκτρωσμὸς*, *ἐκτρωματισμὸς*, *ἀπὸ τȣ̃ τιτρώσκειν*, *damnum inferre*. Dicitur & *ἐκβολὴ*, *ἀπὸ τȣ̃ ἐκβάλλειν*, *ejicere*, *expellere*.

§. II. Eſt autem abortus ſpasmodico-convulſivus uteri motus, quo fœtus nondum perfectus, ſive vivus, ſive mortuus, nunquam tamen vitalis ante ſeptimum menſem ab utero gravidæ, præcedente utplurimum enormi ſanguinis hæmorrhagia, violenter ejicitur. Dum autem nondum perfectum ſeu immaturum, quandoque etiam vivum, nunquam tamen vitalem excludi diximus fœtum, illum a partu ſeptimeſtri, vel octimeſtri diſtinguimus; vitalis enim iſte eſt, & aptus in vita permanere. Multum enim juxta ANDR. OTTOMAR. GOELICKE (b) inter ſe mutuo differunt vivum atque vitale; vivus enim ſimul atque animatus eſt, & dici po eſt fœtus a primo ſtatim conceptionis momento, vitalis vero ab eo demum tempore cenſendus eſt, quo eam organorum corporeorum perfectionem adquiſivit, ut motibus animalibus æque ac vitalibus edendis habilis evadat: unde ſimul conſequitur vivum eſſe poſſe fœtum, ut ut non vitalis, non tamen vice verſa. Dein partum ſeptimeſtrem inter & abortum adhuc hæc intercedit differentia, quod in hoc hæmorrhagia uteri præcedat, tumque embryo, isque utplurimum mortuus excludatur, in ſeptimeſtri vero edito demum infante ſequatur.

(a) *Cap. 5. pag. 736.* (b) *Medic. forens. Specim. Sect. prior. pag. 5.*

§. III. Poteſt autem abortus a primo conceptionis momento usque ad ſexti menſis finem contingere, plerumque tamen inter ſecundum & tertium prægnationis menſem, frequenter etiam circa finem tertii menſis, & quarti initium, rarius inter quintum & ſextum conceptionis menſem obſervatur, utplurimum autem circa id tempus, quo catamenia fluere conſueverunt, quamvis non raro tum ante, tum poſt idem tempus accidat: hinc etiam ſunt aliquæ abortus, tam temporis quam magnitudinis fœtus ratione, differentiæ; aliquando enim quod ejicitur, parvum plane eſt, & globoſum, inſtar uvæ acini, & in eo caput, brachia, crura nudo oculo a trunco vix diſcerni poſſunt, quale quidem primis diebus excluditur: interdum quod ejicitur, digiti longitudinem æquat, & membra omnia diſtingui poſſunt: interdum ſpithamæ longitudine fœtus imperfectus ejicitur: interdum abortivum non multum a perfectione abeſt: ne quid memorem de abortu mola conjuncto (c), de abortu, in cujus placenta uterina embryo cum propria ſecundina incluſus erat (d), de abortu minimo, grani milii magnitudine excluſo (e) de abortu ſex menſium dentato (f), de abortu ſine cerebro (g), de quibus brevitatis causa Practicorum & Obſervatorum libri conſuli poſſunt.

§. IV. Abortus præſentis ſigna per ſe patent, imminentis non æque. Hæc igitur ſolicite excutiamus oportet. Cum igitur fœtæ regulariter menſtruam non experiantur purgationem, ſanguis ideo in earum coacervatus corpore, & uberius ad uterum fluens, ac ab eodem refluens propter venarum epigaſtricarum & mammariarum communicationem mammas etiam turgere facit, haud ſecus ac fœminis non gravidis mammæ inſtantibus menſtruis intumeſcere, & ſuccedentibus menſtruis iterum detumeſcere ſolent. Quod ſi igitur *fœtæ derepente mammæ gracileſcunt, abortionis periculum inſtare* jam prædixit HIPPOCRATES (h). Nam ſanguinis circulantis impetus ad uterum, ſuperat placentæ uterinæ reſiſtentiam, hunc ſecedere cogit, & uteri hæmorrhagiam inſtare prænunciat. Cum porro idem in gravidis menſtruæ purgationis defectus, & eadem ſanguinis modo memorata ad mammas regurgitatio, hæc non ſimpliciter tantum turgere, ſed lacte imprimis turgere faciat, hinc ſi ſanguinis motus per uterum & fœtum retar-

(c) *Eph. Acad. N. C. Cent.* 7. *obſ.* 92. *& Decur.* 3. *an.* 4. *obſ.* 84. (d) *M. N. C. Dec.* 2. *an.* 5. *obſ.* 133. (e) *Mauriçeau obſervat. ſur la groſſeſſ. obſ.* 141. *pap.* 79. (f) *M. N. C. Dec.* 3. *an.* 5. *&* 6. *obſ.* 268. (g) *Hier. Velſchius obſerv. med. Epiſagm.* 9. *pag.* 10. (h) *Sect. V. aph. XXXVII.*

retardatur, & juſto plus ſanguis ad mammas regurgitet, & hæ jam lacte turgidæ eapropter non omne in illas porro derivatum lac capere queant, ſponte illud effluere ſolet, & ſimul fœtum periclitari prænunciat, vel ut HIPPOCRATES (i) prænunciavit: *Mulieri utero gerenti ſi lac copioſum e mammis effluat, fœtum imbecillem indicat.* Utplurimum abortu aut partu præmaturo expellendum. Eo certius vero abortum imminere prænoſcitur, ſi præter inſolitam ad motum ſegnitiem, appetentiam dejectam, rigorem aut horrorem per vices recurrentem, capitis dolorem, præſertim circa oculorum radices, laterumque ventris ſuperioris conſtrictionem dolores abdominis præcipue lumborum, verſus pubem & os ſacrum tendentes cum ſenſu ponderis cujusdam, fœtam invadant. Etenim dolores iſti innuunt, uterum ſui contractionem, & fœtus expulſionem moliri: & ille ponderis ſenſus fœtum in pelvis cavitatem jam devolutum indicat, qui hinc ſua volutatione uterum verſus cervicem premens, tendens ad perfectam ſui contractionem facile ſtimulat. Si tum ſimul abdominis intumeſcentia ſuperne evaneſcit & inferius magis conſpicua fit, teſtatur fœtum jam ſerio exitum moliri. Quod ſi vero jam ichor quidam, vel ſanguis ex genitalibus ex improviſo erumpit, aut ſanguinis grumi ſuccedunt, manifeſtam faciunt cruoris preſſionem in utero, placentæ uterinæ reſiſtentiam ſuperare, & illam ad ſeceſſum cogere. Poſito igitur abortivum talem fluxum erumpere, ob jacturam ſanguinis partim, partim ob multum ſanguinem in dilatatis uteri vaſis hærentem & tardius ad cor redeuntem lipothymiæ ingruunt, & propter inæqualem hunc ſatis motum nunc remiſſiorem, nunc concitatum, alternæ horripilationes & phlogoſes ſupervenire ſolent. Quæ omnia HIPPOCRATES (k) paucis ita proponit: *Ruber fluxus fluit, qualis ſanguis victimæ recens mactatæ, & per intervalla ſanguinis grumi, quandoque vero etiam fluorem rubrum ejicit, venter imus attollitur, extenuatur, inflatur, induratur, ad contactum velut ulceratus indoleſcit, febris & dentium fremitus detinet, dolor eſt ad ipſa pudenda, pubem, lateris inanitatem, lumbos, tendinem, ventrem, pectus & ſcapulas, reliquaque omnia dolent, impotentia & animi demiſſio detinet, & color vertitur.* Excluſo tandem una cum ſecundinis vel formato, vel informi fœtu, & ſalva relicta Matre, uterus ſe reſtituit, hæmorrhagia ceſſat, lochia conſuete fluunt, ſymptomata remittunt, eaque omnia, ut poſt partum naturalem alias ſolita, contingunt.

 §. V.

(i) *Sect. V. aph. LII. Item l. 2. ejusdem Sect. VI.* (k) *libr. 2. Sect. V. de Morb. Mulier.*

§. V. Quod quibusdam gravidis per muliebria ſanguis fluere ſoleat, pervulgatæ res eſt notitiæ. Non unius vero generis eſt fluxus ille ſanguinis; intereſt autem prægnantium, ut cujuslibet indolem Medicus accurate habeat cognitam perſpectamque. Et initio quidem notum eſt, nonnullis, ac potiſſimum plethoricis menſes fluere, aliis usque ad quintum menſem, aliis vero toto geſtationis tempore, & quidem absque omni & fœtus & Matris noxa ac damno, qua de re Columbus (l) conſuli meretur. Et his quidem absque doloribus ac torminibus placido curſu manat rivus ſanguinis ex genitalibus, non cum impetu exundat, nec grumos facile vehit. Neque enim ullo modo negari poteſt, quod ſanguinis nimia moles in utero fœtum ſæpe obruat, illumque vaſis umbilicalibus diſruptis foras propellat, quod contigiſſe illuſtri Matronæ clariſſ. Verzascha (m) non immerito ſuſpicatur. Neque etiam ullum minatur vel Matri, vel fœtui periculum, quod non raro brevi poſt conceptionem ſtato menſium tempore per horarum paucarum intervallum emicat ſanguinis ſtillicidium, ac altero etiam menſe interdum recurrit. Enim vero aliud judicium ferendum eſt de fluxu illo ſanguinis, qui vel ſub finem ſecundi, vel etiam tertii quartive menſis geſtati uteri prodit. Tametſi enim primum a typo evacuationis menſtruæ neque quantitate, neque exeundi modo abeat, quin imo ſub hoc ſchemate duobus aut pluribus menſibus ſeſe ſiſtat, grave abortus periculum portendit. Et abortus quidem tum inſtare cenſendus eſt, cum fluxus ex tranquillo (præterlapſis nonnunquam aliquot diebus) in vehementem præcipitemque laticis vitalis mutatur profuſionem, quæ non raro adeo invaleſcit, ut ægræ animo linquantur, & extremis frigentibus jamjam expiraturæ videantur, quod etiam certo eveniret, niſi plerumque poſt aliquot horas immaturus fœtus excluderetur. Attentam vero conſiderationem illa inſolita animi dejectio, quæ ante vehementem iſtam hæmorrhagiam ſeſe exerere ſolet, meretur, ex qua ſola inſtantem abortum & graviora ſymptomata tuto prædixeris, etiamſi tibi cognitum non ſit, an mammæ ſint extenuatæ, aut cujus generis lac ex his fluxerit, an latera cum ventre ſuperiori arctari fuerint viſa &c. Ex dictis concludere licet, quomodo effatum Hippocratis (n) ſit intelligendum: *ſi Mulieri in utero gerenti purgationes* (hoc eſt fluor uteri cruentus) *prodeant fœtum ſanum eſſe impoſſibile.*

§. VI.

(l) *libr.* 12. *de format. fœtûs. pag.* 250. (m) *obſerv.* 82. (n) *Sect. V. aph. LX.*

§. VI. Subjecta abortui magis obnoxia ſunt Mulieres plethoricæ, obeſæ, laxioris, humidioris & tenuioris corporis habitus, otioſæ, lauto & opiparo victu viventes, naturæ debilioris ac ſenſibilioris, paſſionibus ſubjectæ ſpaſtico-hiſtericis, quibus catamenia vel copioſiora, vel inordinata fluxere, quæ ſemel aut ſæpius abortum paſſæ, vel quarum Matres ad abortiendum propenſæ fuere, quæ vel ſtaturæ nimis ſunt parvæ, vel reſpectu annorum nimis juvenes, quamquam & aliæ ſpectentur Mulieres, quæ ut facile concipiunt, ita ad obortionem nulla manifeſta cauſa proclives ſunt; hæ, inquam, omnes prænominatæ longe faciliores & opportuniores ad abortiendum ſunt, quam fœminæ carnoſæ, duriori paullulum fibrarum ſtructura præditæ, robuſtiores, plebejæ, minus obeſæ, & quæ valido exercentur labore, neque terrori, mœrori, aliisque animi intemperatis pathematibus nimirum indulgent: quæ certe omnia HIPPOCRATES (o) paucis ita confirmat: *Fœminæ aliæ ſunt frigidæ, aliæ humidæ & fluidæ, aliæ vero calidæ quidem, ſed ſicciores & ſtabiles ſunt. Nam quæ ſupra modum albæ ſunt, humidiores & fluxionibus opportuniores exiſtunt, nigræ vero ſicciores & adſtrictiores. Quæ vero colore ſunt ſubfuſco, & vinoſo, medium quiddam inter utrasque obtinent. Ad eundem etiam modum circa ætates contingit. Juvenculæ enim humidiores ſunt, fereque ſimpliciter copioſo ſanguine abundant. Vetulæ vero ſicciores paucum habent ſanguinem. Quæ autem in medio ſunt poſitæ, medium quiddam inter utrasque habent, in ætatis æquilibrio conſtitutæ.*

§. VII. Jam vero cum in aliquibus vel leviſſimæ cauſæ abortum procurent, quem in aliis nulla ars, nullaque medicamenta pellentia licet fortiſſima (ut HIPPOCRATIS (p) GUARENONII (q) PLATERI (r) ZACUTI LUSITANI (s) SOMMERICK (t) ALBRECHTI (u) BARTHOLINI (w) aliorumque docent obſervata) excitare valent, peculiarem uteri in facile abortientibus eſſe debere diſpoſitionem, certiſſime concluditur: quæ ut innoteſcat, uteri ſtructuram breviſſimis depingamus verbis. Eſt autem uterus pars organica, fœminino ſexui propria, in infima regione abdominis, ſcilicet in pelvi intra inteſtinum rectum & veſicam ſita, ſubſtantiæ muſculoſo-vaſculoſæ, vario fibrarum carnearum plexu compoſita, copioſiſſimis vaſis interjectis, pro varia ætate & geſtatione incredibiliter dilatabilis, in non gravidis compacta

&

(n) *Sect. V. aph. LX.* (o) *Libr. II. Sect. V. de Morbis Mulierum.* (p) *libr.* I. *de Morb. Mul.* (q) *conſult.* 636. (r) *prax. med. pag.* 113. (s) *in praxi admir. obſ.* 144. (t) *Dec.* I. *an. VI. obſ.* 106. *M. N.C.* (u) *Decad.* I. *an.* 8. *obſ.* 165. (W) *Dec.* I. *An.* I. *obſ.* 52. *M. N.C.*

& firma, in gravidis ſpongioſa & ſinuoſa; in ſtatu naturali magnitudine ovum, figura vero pyrum referens, in fundum, collum atque orificium diſtincta, & ita conceptioni; geſtationi & nutritioni fœtus adaptata: connexionis variæ, pars poſterior, quæ fundus dicitur, libera eſt, anterior, ſive Collum cohæret vaginæ, partes vero laterales per ligamenta annectuntur, quæ duplicia ſunt, lata duo, in quovis latere unum, quæ membranacea ſunt, & cum peritonæo continua, hæc utrimque uterum & vaginam pelvis parietibus jungunt: rotunda duo, a parte ſuperiori uteri orta, quæ tranſeunt per annulos muſculorum abdominis, & mox ibidem terminantur in pinguedine juxta inguina, Montem veneris dicta.

§. VIII. Ommiſſa nunc Tubarum Fallopianarum, ovariorum, ovorumque, vaginæ, ejusque partium externarum deſcriptione (fuſius in diſſertatione pro exercitiis de actionibus ſexus expoſita) vaſa ſanguifera recenſebimus: habet autem arterias uterus 1mo a ſpermaticis, quæ, cùm vix non ad ovaria pervenerunt, in tres ramificationes diſtribuuntur, quarum primus ramus in ligamenta tam lata, quam rotunda pro eorum nutritione diſpergitur; ſecundus ramus ad ovarium & uterum deducitur, in ovario pro ovulorum & ipſius ovarii incremento & nutritione; tertius in ipſam ſubſtantiam uteri, imo & partem vaginæ pro adducendo ſanguine menſtruo, intrat: 2do habet uterus arterias ab hypogaſtricis, quæ maximæ, hæ arteriæ ab iliacis, iliacæ vero ab aorta deſcendente ortum ſuum ducunt: tandem 3tio ab hæmorrhoidalibus externis, quæ denuo ab Iliacis oriuntur. Arteriæ hæ omnes per innumeras anaſtomoſes mire inter ſe communicant. Venas quoque triplices ejusdem nominis, valvulis deſtitutas, & arteriis longe ampliores, præſertim in gravidis, adipiſcitur, quæ tamen vaſa multoties inter ſe complicata ſunt, variasque cryptas & ſinus efformant: Nervos tandem à 6. 8. pari, & nervis interlumbaribus atque ſacris obtinet.

§. IX. Ex dictis ergo eluceſcit, quod ipſius uteri campages ita ſit comparata, ut fibræ & vaſa in utero incredibilem in modum diſtendi & explicari, iterumque contrahi, & ſponte ad priſtinum ſtatum redire poſſint, quo ſit, ut ſanguis copia redundans eo quam facile ruat, ibique colligatur: vaſa dein tam arterioſa, quam venoſa, ex ſpermaticis & hypogaſtricis orta, numero fere infinitas ramificationes ad uterum, ejusque vaginam emittunt, quæ non recto curſu, ſed varie contortæ, curvæ, & quaſi ſerpentinis ductibus proſerpunt; niſi enim ejusmodi incurvatio & flexura vaſorum eſſet, uterus à fœtu ſine

vaſorum diſruptionis metu non poſſet diſtendi. Porro membranæ, quæ & internam, & externam uteri ſuperficiem cingunt, & per quas vaſa diſſeminantur, nulla adipe obductæ ſunt, quare ejusmodi fulcro deſtituta vaſa, facilius diſtendi, & aperiri queunt, & ſicut omnem fluidi ad perpendiculum aſcenſum, ita ſanguinis ad ſuperiora perpendiculari via curſum per venarum ſpermaticarum admodum longum & valde tortuoſum ac inflexum ductum vehementer eſſe difficilem, animadvertimus.

§. X. Demum uti valvulæ, aliarum corporis partium venis accretæ, ſanguinis progreſſum egregie adjuvant, ejusque reſtagnationem impediunt, ita in venis uterinis, valvulis deſtitutis, cruor utique ſegnius circumagitur, & in amplioribus collectus, ad minores & capillares relabitur, eorumque tenera oſcula plus juſto diſtendit ac premit. Quod ſi igitur major ſanguinis copia congeſta fuerit, quam vaſa capere, & robur cordis ac ſolidorum regere poſſit, tunc in nulla parte difficilius regreditur, quam in utero, hinc quando in alveis vaſorum ſenſim lapſu temporis accumulatur, vaſculoſas ſinuoſitates replet ac infarcit, earum extremitates, quæ oblique hiant in uterum, nimium diſtendit, quæ diſtentæ diſſiliunt tandem, & cruorem effundunt.

§. XI. Expoſitis his neminem latere credo, quod fœtus, qui uteri cavitati innatat, perque funiculum umbilicalem ſuſpenditur, mediante placenta utero ita annectatur, ut per Matris vaſa uterina arterioſi generis advectus primo humor limpidiſſimus, dein pro ratione ſanguis in placentæ vaſcula venoſi generis, & ſic in venam umbilicalem, per hanc tranſeundo fœtus hepar, in ejus venam cavam & portæ, pro nutritione & vita conſervanda transfunditur; quotiescunque vero hujus liquidi influxus ob avulſam ab utero placentam intercipitur, nutritio ceſſat, & fœtus vita privatur: ſolutis enim ſecundinis uteri vaſa ſanguine copioſo turgida, effundunt cruorem ſuum per aperta eorum orificia in uteri cavitatem, qui ejus latera premit, diſtendit & moleſtat una cum fœtu utplurimum mortuo, fibras carneas ad motum ſpasmodico-convulſivum excitandum irritat, aut jam jam præſentem multiplicat, quibus concuſſis aperto interno orificio contentum fluidum ſtagnando grumeſcens primitus ejicit, & tandem ampliata via moleſto ſeſe exonerat cadavere. Ergò præternaturalis hæcce placentæ avulſio proximam ac immediatam conſtituit abortus cauſam.

§. XII. Omne igitur, quod uterum ad violentam ſui conſtrictionem, aut placentam uterinam ad ſeceſſum ab utero ſolicitat, abortum inducere poteſt: commode vero cauſæ abortûs remotæ in quatuor

claſſes dividi queunt: quædam enim 1mo a totius corporis materni diſpoſitione, quædam 2do ab hujus, illiusve partis ejusdem affectione, quædam 3tio a ſpeciali uteri conſtitutione, & quædam 4to ab ipſo fœtu excitantur.

§. XIII. Totius corporis materni diſpoſitio, quatenus ad abortum concitandum aliquid confert, multiplex eſſe ſolet: & quidem 1mo textura corporis materni nimis tenera, & ætas in plagis magis borealibus tenerior, juxta effatum HIPPOCRATIS (x): *Quæ præter naturam tenues utero gerunt, abortiunt donec pleniores evadant.* Sibi enim vix ſufficiunt, multo minus graviditatis moleſtias perferre valent. 2do corporis habitus præpinguis, aut nimium extenuatus. Ille quidem quod chylus ex alimentis & potulentis confectus, in nimiam pinguedinem abeat, ac abinde ob abdominis molem uterus præter modum gravetur, ſicque fœtus incrementum impediatur. Habitus autem corporis multum extenuatus ob alimenti defectum, quod fœtus poſtulat, & virium Matris jacturam ſecundum §phum præcedentem, abortum itidem cauſat. 3tio Statura Matris nimis parva, imprimis procero exiſtente Marito, & fœtu corporis proceritatem affectante, in quo caſu denegatum ipſi ſpatium, fœtum imperfectum intempeſtive prodire cogit. 4to Plethora, ſeu nimia ſanguinis moles; hæc enim ſive ſit ad vaſa, ſive tantum ad vires, in vaſorum ramificationibus, imprimis per uterum, utpote heic minus ſuffultorum, & venis valvulis carentibus (vid. §. VIII.) pondere æquo ſuo ac motu progreſſivo, violenter premit, tenditque, atque hac ratione placentam ad ſeceſſum, uterum vero ad ſui contractionem ſtimulat, ac utroque modo frequentiſſima fit abortus cauſa. 5to Aëris varia conditio: ſic aër nimis æſtuans rarefacit & expandit omnia corpora, rarefacta majus occupant ſpatium, quam prius poſſidebant: hoc idem continuante aëre calidiori noſtro contingit ſanguini: ſi jam gravidæ aliunde plethoricæ ſanguis rarefit & expanditur, major orgasmus ac citatior circulus inducitur, vim ſolidorum ſuperat, ſicque facile uterinam placentam deturbare, ac abortum excitare valet. Frigidus autem aër, ſingulariter ſi abdomen & partes inferiores contra ejus injurias non ſatis defendantur, vaſa ſubcutanea contrahit, ſanguinem in peripheria contentum ad interiora pellit, prohinc in vaſis internis cruoris copia augetur, quæ ſi in uterinis cumulatur, atque per impetum majorem eo ruat, rupturam cohærentium laxe villorum facillime inferre poteſt: quo magis autem aërem frigidum gravi-

(x) *Sect. V. aphor. XLIV.*

gravidis nocere diximus, tanto majorem noxam infert, ſi humiditate ſimul conjuncta peccat; fibras enim relaxat, debiles reddit, liberiorem ſanguinis & humorum circulum impedit, poros obſtruendo inſenſibilem tranſpirationem inhibet, atque eodem fere modo abortum inducere ſolet: ſequentem etiam aëris conſtitutionem Hippocrates (y) abortûs cauſam interdum eſſe notavit; *Si hyems auſtrina, & valde pluvia, & placida fuerit, ver autem plus juſto ſiccum & aquilonium, Mulieres quidem, quibus partus ad ver imminet, ex quavis cauſa abortiunt. Quæ vero pepererint, imbecilles & morboſos infantes edunt, ita ut vel ſtatim intereant, vel tenues & valetudinarii vivant.* Ad aëris variam conditionem, quatenus abortus cauſa eſſe poteſt, pertinet aër variis vaporibus & odoribus tam ſuavibus, quam fœtidis & abominabilibus coinquinatus, quod jam ſuo tempore Plinius (z) a lucernarum exſtinctu notavit. 6to Aſſumptorum quantitas & qualitas vitiata: peccatur autem quoad quantitatem, quando per victum pleniorem major ſanguinis copia augetur, & plethora, fœcunda abortus cauſa, generatur; vel quando a cibis non bene maſticatis & cum ſaliva mixtis cruditates producuntur: hinc non ſolum ob ventriculi dilatationem viſcera abdominis, imprimis vero uterus a fœtu jam tumidus premitur, ſed etiam a crudo chylo & ſanguine, infirmum fœtus producitur nutrimentum, variique anomali in abdomine, embryoni noxii, exurgunt motus, frequentes abortus auctores. Quoad qualitatem acria, aromatica, ſale & fumo condita, vinoſa, acida, pinguia & dulcia, partim orgaſmum ſanguinis inducendo, & motum circularem adaugendo, imprimis in ſubjectis plethoricis, partim vellicando & ſtimulando, fibrasque utero adjacentium partium irritando, fœtum adhuc imperfectum expellere valent. Quæ omnia pro re nata de potulentis in quantitate adaucta vel imminuta, vel plane qualitate peccantibus intelligenda veniunt. Huc pertinent omnia pharmaca ecbolica & emmenagoga, quæ, nimium ſanguinis orgaſmum incitando, & ſolidas commovendo partes, fortiora vero purgantia, & emetica, item clyſteres acriores, ſpaſmum inteſtinorum, ventriculi, & totius nervoſi ſyſtematis inducendo, non raro abortum provocare ſolent. 7mo Motus & quietis exceſſus: nimia & inconcinna corporis exercitatio, primis præcipue menſibus noxia eſt, & ad abortum diſponit: hinc corporis equitando agitatio, ſaltatio nimia, curſus & caſus vel ab alto, vel pronus in abdomen, graviorum ponderum elevatio, riſus, brachiorum & manuum ſupra caput fortis extenſio,

(y) *Sect. III. aph. XII.* (z) *Hiſt. natur. l. 7. cap. 7.*

tenſio, imi ventris percuſſio, aut contuſio, per colobia fœminea immoderata arctatio, frequens & immoderatus coitus, & reliqua hujus generis, quæ corpus graviter movent, fœtum commovent, rupturam cohærentium laxe villorum facillime inferunt, & placentam a cohæſione cum utero avellunt, ad abortum faciunt. Nimia e contra quies retardatum aliunde ſanguinis per viſcera abdominis præcipue uteri Mulieris gravidæ motum, difficiliorem reddit, ad ſanguinis & humorum ſtagnationem diſponit, fibræ & vaſa laxantur, nec fœtus laudabili ſucco nutritur, nec firmiter cum Matre jungitur, hinc facile concurrente alia levi cauſa expellitur. 8vo Somni & vigiliarum exceſſus: nimium protractus ſomnus eosdem, & in eminentiori adhuc gradu producit effectus, quos in nimia quiete notavimus, hinc accedente levi quadam cauſa procatarctica, expelli fœtum ſinit: vigiliæ e contra nimiæ, ſpiritus exhauriendo, coctionem nutritionemque impediendo, & fœtæ & fœtus corpus ac vires atterendo, facile abortum inducunt. 9no Excernendorum & retinendorum anomalia; alvus adſtricta, & exinde ortus tenesmus, urinæ ſuppreſſio, ambo fœtum preſſione ad exitum urgent, quod jam dudum HIPPOCRATES (aa) obſervavit, dicens: *Mulieri utero gerenti, ſi crebra & inanis deſidiendi voluntas* (tinesmum dicunt) *acceſſerit, abortum facit.* Hæmorrhagiæ ſive ſpontaneæ, ſive artificiales, imprimis immodicæ, omnesque aliæ effuſæ excretiones ſecundum illud HIPPOCRATIS (bb): *Mulieri utero gerenti, ſi alvus multum profluat, abortionis periculum eſt*, quod & fœtum & fœtam viribus exhauriant, illius præmaturum ſæpius exitum ſolicitant. 10mo Animi pathemata violentiora: ex Pathologia notum eſt, quod graviores animi affectus non ſolum in maſſam ſanguineam, ſed etiam in totum corpus agant, ſpiritusque animales in vagos & inordinatos motus cogere ſoleant, mirum itaque non eſt, quod etiam uterus ab illis offendatur, ſicque ſæpius fœtus præmature expellatur. Excellunt inter hos terror, triſtitia, gaudium nimium, iracundia, & ſimilia: frequentiſſime autem mulieres nimis iracundæ & terroribus ſubjectæ, præſertim ſi hæc graviora pathemata invicem jungantur, atque unum alterum excipiat, abortum patiuntur; commoventur enim ab ira & terrore non ſolum ſpiritus animales, ſed & tota maſſa humoralis, ſyſtema nervoſum convellitur, uterus contrahitur, ſicque fœtum expellit.

§. XIV. Secunda cauſarum remotarum claſſis, affectus particulares non totum corpus æque, ſed unam alteramve tantum partem afficientes

(aa) *Sect. VII. aph. XXVII.* (bb) *Sect. V. aph. XXXIV.*

ficientes complectitur. Huc pertinent omnes graviores ſpasmi, convulſiones, atrocesque dolores, v. g. ſternutationes vehementiores, tuſſes ferinæ, ſingultus violenti & diuturni, vomitus, cardilagia, colica, tenesmus, diarrhœa, dyſenteria, febres continuæ malignæ, epilepſia, renum & veſicæ calculus: omnes enim & ſinguli hi affectus, præterquam quod valde debilitent, ſuccutiendo vel totum corpus, vel abdomen, imprimis & uterum, fœtum expellere valent. Ad hanc claſſem etiam ſpectant omnes hydropis ſpecies, ut & omnis nimia abdominis conſtrictio, tam ipſius graviditatis tempore, quam extra illud, cum illa ſpatium debitum fœtui haud concedat, hæc vero viſcera debilitet, eorumque functionem intercipiat.

§. XV. Tertia cauſarum remotarum claſſis ex ipſo utero ſurgit: huc referenda eſt uteri anguſtia & parvitas, quando is creſcente fœtu ſufficienter dilatari & expandi nequit, unde HIPPOCRATES (cc) ait: *Mulier, quæ concipit quidem, fœtus autem bimeſtres perdit, eo exacto tempore neque prius, neque poſterius, idque bis aut ter illi contigit, quin etiam ſi trimeſtres, aut quadrimeſtres, aut etiam majores fœtus ad eundem iſtum modum perdat: his uteri in majorem amplitudinem non amplius increſcunt, ſi fœtus augeatur, aut bimeſtre aut trimeſtre ſpatium, aut quantulumcunque tempus ſuperet, vel ſi quando alias augetur, uteri non amplius capiendo fœtui eſſe poſſunt, ſed hac de cauſa eo tempore perditur*: Item ſi uterus nimis fuerit rigidus, & denſus, aut ſcirrhoſus, ut ſuccreſcenti fœtui cedere non poſſit: dimittitur quoque fœtus ob ſitum uteri mutatum & ejusdem prolapſum: ſi nimis laxus fuerit & a tono naturali deflectens, pariter fœtum mole auctum continere nequit. Idem contingit, ſi uterina vaſa muco oblinita ſunt: *Quæ mediocri corporis habitu præditæ*, inquit HIPPOCRATES (dd) *fœtus bimeſtres aut trimeſtres absque occaſione manifeſta abortione excludunt, iis uteri acetabula* (græci κοτυληδόνας vocant) *mucoris plena ſunt, neque præ pondere fœtum continere poſſunt, ſed abrumpuntur.* Huc ſimiliter pertinent morbi uteri, ut ejusdem inflammationes & eryſipelata, abscesſus occultus, fluor albus. Non minus & ſi uterus difficili partu fuerit læſus, & non rite conſolidatus, conceptum fœtum ſuſtinere nequit, cujus rei exemplum affert VOLCKAMERUS (ee). Contenta item præternaturalia uteri, ut molæ & ſecundinarum fruſta in utero olim relicta, abortum excitant.

(cc) *Sect. III. lib. de ſuperfœtat. edit. Foëſ. pag.* 263. (dd) *Sect. V. aph. XLV.* (ee) *Eph. N. C. Dec.* 1. *An.* 9. & 10. *obſ.* 62. *p.* 155.

§. XVI. Ultimam abortus cauſarum remotarum claſſem conſtituit varia ipſius fœtus conditio: ſic ſi fœtus ex Matris morbo, vel ob defectum nutrimenti eſt admodum debilis, aut ægrotat, aut etiam moritur, ut quaſi ſarcina iners in utero retineatur, irritatus uterus ſe contrahit, fœtusque expellitur. Si fuerit ſolito inquietior, Mater vero tenerioris ſenſibilis texturæ, abortus facile ſuccedit. S magnitudine excedit ita, ut ob auctam molem in utero contineri nequeat, quod fœminis contingere ſolet, quæ viris grandioribus junguntur, quarum ſoboles magnum capeſſit incrementum. Fœtus item numero excedentes & tempore ſuccreſcentes, uterum nimio pondere gravant, exitumque præmature ſibi quærunt. Fœtus quoque mortuus, ſi gemelli fuerint, ſocium fœtum vivum ſæpe expelli facit, dum pondere ſuo imprimis deorſum labens, oſtiumque uteri præmens tendensve, uterum ad ſui contractionem ſolicitat. Non minus & membranæ fœtum involventes, ſi juſto teneriores fuerint, & a volutante fœtu diſrumpi ſeſe patiantur, hunc ad præmaturum exitum compellunt. Idem fit, ſi umbilicalis funiculus aut juſto fuerit brevior, qualem v. g. vix Spithamæ longitudinem habentem obſervavit Guilhelm. Fabric. Hildanus (ff), aut juſto longior. Ille quidem, cum ſuccreſcenti & volutanti fœtui cedere nequeat, per eosdem hosce motus tenſus, convulſus, vibratus, placentam uterinam facile abſtrahit, & ſic abortus præſto eſt. Si vero idem funiculus fuerit longior, fatali non raro caſu collum fœtus circumligat, ejusdemque motu & ligatura collum conſtringit, fœtus vero ſtrangulatur: vel etiam ejusdem funiculi umbilicalis juſto longioris circa hanc vel illam aliam corporis fœtus partem circumvolutio, eundem funiculum juſto breviorem reddit, ac idem facit, quod de funiculo umbilicali per ſe breviori jam notatum. Ad hanc claſſem etiam referenda ſunt vitia placentæ uterinæ, v. g. ſi ſcirrhoſa vel hydatica fuerit facta.

§. XVII. Dantur Mulieres in omnibus actionibus vegetæ, ſanæ, per primos ſat multos annos optime conſtitutæ: quæ edunt ac bibunt, indeque nutriuntur, habitum corporis laudabilem præſeferunt, actiones omnes peragunt, coëunt, concipiunt, fœtum cum euphoria ad certum tempus geſtant, ſine cauſa tamen manifeſta nihilominus ex facili abortum patiuntur: dantur autem a contrario etiam fœminæ, quibus nec violentiſſimis remediis abortus provocari poteſt. Ait enim Guarinonius (gg): *Vidi multas utero gerentes, fortiſſimisque medicamentis, &*

(ff) *Obſerv. Chirurg. Cent.* 2. *obſ.* 50. (gg) *Conſult.* 636.

& multis venæ ſectionibus cruciatas, & nulla fecit abortum. Zacutus Lusitanus (hh) refert, quod fœmina quædam nec per valida aſſumta purgantia, nec per fortiſſima utero applicata unguenta, nec per appoſita violenta peſſaria, aut alia fœtum enecantia remedia, nec per exactiſſimam inediam, & tandem neque viribus licet exhauſta per terdecim celebratam Saphenæ phlebotomiam, & ter in ſede applicatas hirudines abortum procurare potuerit. Merito igitur refert ſcire, in quo tam ſpecialis diſpoſitio conſiſtat? Hanc vero in fibrarum muſcularium & vaſorum uterum componentium remiſſione, laxitate, & atonia quærendam eſſe, credimus. In taliter conſtituto utero progreſſivus ſanguinis & humorum motus retardatur, iidem colliguntur, vaſa diſtenduntur, fiunt ſæpe varicoſa, fibræ muſculares ad ſpaſmodicam contractionem irritantur, vaſorum extremitates aperiuntur, ceſſat fœtus nutritio, atque abruptis ſecundinis præmature expellitur. Quod eo certius contingit, ſi de ante dictis cauſis una aut altera acceſſerit. Quod ſi vero uterus debito ſuo tono & robore gaudeat, neque ſanguis reliquique humores in ſuo æquabili & progreſſivo motu intercipiantur, quale quid in caſu ex Zacuto Lusitano recenſito obſervare licet, fœtus retinetur.

§. XVIII. Poteſt autem iſta ad abortiendum proclivitas variis acquiri modis. Et 1mo quidem hæreditaria eſſe poteſt, quando generatæ a Matribus, quæ ſæpe abortum paſſæ ſunt, filiæ nativam uterinæ fabricæ debilitatem obtinuerunt, vel 2do conſuetudinaria eſt, quando fœminæ, quæ ſemel aut bis per abortum excluſerunt, crebrius & quidem non raro ſtato tempore abortiunt. Hujus conſuetudinis vero cauſa denuo ex prava uteri & vaſorum laxitate, humorumque ſtagnatione, ex abortiendi labore ſæpius repetito inducta, uteroque ex leviſſima cauſa ad motus ſpaſticos & convulſivos propenſo, deducenda, eſt.

§. XIX. Eſt & 3tio ad abortum facile & præter opinionem citius faciendum diſpoſitio, eaque a puerperio prægreſſo, quando vel integra placenta non fuit educta, vel uteri a ſanguine non ſatis repurgati citius ſe ſe conſtrinxerunt, quam oportebat, adeoque intus concluſerunt aliena & noxia futura: ex his enim enaſcuntur Molæ, quæ, ubi conceptio nova facta eſt, fœtui intra ſuas membranas concluſo libertatem ſe undequaque æquabiliter explicandi, & una uterum expandendi adimit: unde fieri haud facile poteſt, ut conceptus col-

(hh) *In praxi medica admir. obſ.* 144.

collocatus ita, ut a latere ejus concretum molare poſitum ſit, ex illa parte prematur, hæc autem preſſio tam molli corpuſculo, ne nutriri & extendi poſſit, quam maxime obeſt: ſi vero Mola inferiorem, fœtus ſuperiorem locum occupat, fœtus cum membranis ſuis extenſus, verſus cervicem uteri Molam proprimet, illamque urgebit, quæ quidem determinata preſſio, præſertim ubi aliæ etiam cauſæ acceſſerunt, illarum actioni momentum haud exiguum debet adjicere ad eventum Matribus infauſtum potenter accelerandum. Quod quoque intelligendum eſt de concretionibus polypoſis intra ſinus uteri ſeu vaſa ejus enatis & concluſis.

§. XX. Omnis fœmina, quæ abortionem facit, multo majore laborat periculo, quam quæ debito tempore parturit. Non paucæ Mulieres propter abortum ſteriles fiunt. Fluxio ſanguinis immodica abortionis plerumque comes eſt. Fœtus abortivus in ipſa abjectione, vel paulo poſt perit. *Quæcunque utero gerentes febribus detinentur*, dicit Hippocrates (ii) *& vehementer extenuantur citra manifeſtam cauſam, eæ difficulter & cum periculo pariunt, aut in abortionis periculum incidunt.* Decies tot intra duos vel tres primos geſtationis menſes fieri ſolent abortiones, quot fiunt poſtea. Emiſſio aquæ cruore tinctæ ex utero Mulieris, abortûs eſt plerumque præcurſor. Mulier, quæ abortum fecit ſecundinas difficilius dimittit, quam quæ ſuo tempore peperit. Inter abortiendum ante quartum vel quintum geſtationis menſem, non eſt, cur ſollicitus ſis de fœtus poſitione, quem, præ ejus exiguitate, Natura nullo negotio abjectura ſit, qualiscunque poſitio contigerit. Cum in abortibus intra duos vel tres primos geſtationis menſes, factis, uterus ad menſuram fœtus tantum aperiatur, non raro fit ut placenta, ampliorem tunc temporis magnitudinem ſortita, diutius in utero retineatur. Quanto magis ſubitaneus eſt abortus, præſertim a cauſa aliqua violenta, eo difficilior placentæ extractio. Abortus, quos ipſæ fœminæ ſibi excitant, multo majore fiunt vitæ periculo, quam qui nulla miniſtrante violentia ſponte fiunt. Abortus in primiparis periculoſior eſt ob vias anguſtiores, quam in iis, quæ ſæpius peperunt ob vias patentiores. Si poſt lumbagines graves inter geſtandum utero, excretiones inuſitatæ ex utero proveniant, periculum abortionis ſummum Mulieri imminet, præſertim ſi excretiones ſanguis inficiantur. Si à cauſis externis violentioribus, puta ictu, vel caſu, & ſimilibus vehemens dolor & perturbatio in gravida excitentur, ſtatim, vel ſaltem eodem die ſequitur abortus, ſi vero minor

(ii) *Sect. V. aph. LV.*

nor ſuerit vis cauſæ externæ, ad tertium diem abortus differri poteſt, quo elapſo, utplurimum ceſſat aborſus periculum. Hæmorrhagiæ inſignes abortienti ſupervenientes, ad quas ſyncope, deliria, inflammatio & convulſiones ſequuntur, mortem inferre ſolent. Mulieres, quæ variolis laborantes abortiunt, non ita multo poſt plerumque moriuntur. Dixit etiam HIPPOCRATES (kk) *Mulierem utero gerentem morbo quopiam acuto corripi, lethale eſſe.*

CAPUT II.

De Abortu practice conſiderato.

§. I.

DIximus capite prægreſſo, quod omne commercium, quod fœtui cum Matre intercedit, ſola nitatur connexione & cohæſione vaſculorum placentæ, ac ipſius uteri; & quod omnia ea, quæ commercium hoc fœtum inter & Matrem tollunt, & circulum humorum laudabilium nutritiorum per placentæ vaſa utero adnexa intercipiunt aut ſolvunt, convulſionem uterinam ſeu abortum inducere ſoleant. Ex quibus conſequitur, quod prudens Medicus, cui Mulierem abortu futuro præſervare, aut ab imminenti liberare ſtudendum eſt, eo anniti debeat, ut humorum nutritiorum circulum, eorumque neceſſarium tranſitum ad ipſum fœtus corpuſculum, qui vel ob defectum humorum laudabilium in ipſo corpore materno, quo fit, ut liquidum aut nullum, aut parva quantitate ad connexa cum uterinis vaſcula placentæ deferatur; vel ob placentæ à Matrice avulſionem, vaſculorumque, quæ utramque inter ſe nectebant, rupturam, modo ab externa læſione, modo a ſanguinis eo ruentis copia & impetu, modo a ſpaſticis ſtricturis varias ob cauſas exortis perpetratam, per amotionem cauſarum ſartum tectumve conſervet, ac tali modo futuram uteri hæmorrhagiam impediat, vel præſentem ſiſtat fœtusque excluſionem, quantum in arte ſalubri poſſibile, impediat.

§. II. In hunc finem gravida enarratas cap. I. §. XIII. ad abortum diſponentes remotas cauſas religioſe evitare, aëremque, quantum poſſibile, temperatum ſibi eligere, æſtuoſum vero & frigidum,

(kk) *Sect V. aph. XXX.*

aut fœtidum, maxime vero candelarum exſtinctarum fumo infectum fugere debet; cibis utatur euchymis & eupeptis, fugiat acida, acria, fermenteſcibilia, flatuoſa, nimiumque aromatiſata alimenta; abſtineat pariter à cœna largiori, copia carnium, placentis, eſculentis pinguioribus, ut & a nimio vini aut aliorum ſpirituoſorum liquorum potu; evitetur in non aſſuetis validior & diuturnior corporis motio & ſuccuſſatio, v. g. per vecturam &c. nimia vita ſedentaria: imminente tamen abortu, quies potius imperanda eſt, nec corpus gravidæ ſtragulis opprimi aut calefieri debet; excernenda aſſumptis reſpondeant, perſpiratio inſenſibilis cuſtodiatur, ſingulariter vero prioribus geſtationis menſibus alvus ſervetur libera per poma borsdorffiana cocta, paſſulata, mannata, præcipue autem per Rhabarbarina &c. Adfectuum intemperantia, quam maxime vero ſubitaneus terror & ira cane pejus & angue fugiatur; ultimatim huc referendus eſt ex anili ſuperſtitione & ignorantia obſtetricum prognatus ad fœtum corroborandum hyperbolicis collaudationibus commendatorum perverſus adſtringentium remediorum abuſus.

§. III. Plethoram ſeu nimiam ſanguinis copiam præcedenti cap. frequentiſſimam abortus cauſam eſſe ſtatuimus. Hanc autem vix non omnibus fœminis communem eſſe, præter habitum corporis, & alia, docent menſtruæ ſanguinis purgationes, quæ, ſi per conceptionem ſupprimuntur, ſanguinis quantitatem ad excretionem alias directam adaugent, uterumque copioſiori cruoris adfluxu infarciunt, & cum fœtus tantam quantitatem ad ſui nutritionem non requirat, nec ferre, nec in ſe recipere poſſit, ſequitur, quod, cum creber abortus utplurimum circa finem tertii, aut initium quarti ab imprægnatione menſis incidat, in plethoricis certius & efficacius ad præcavendum abortum non detur præſidium, ſanguinis primis menſibus in brachio miſſione. Quantitas vero, ejusque repetitio pro diverſitate plethoræ, majori vel minori ſanguinis ad uterum collectione, ætate &c. determinanda eſt: repetenda quoque bis, ter, quaterve, imo ſæpius intra graviditatis tempus pro rei neceſſitate. Nam non deſunt Auctorum obſervationes, ubi ſingulis menſibus adnotante LAZARO RIVERIO (ll) VERZASCHA (mm) JOSEPHO LANZONI (nn) ad ſanguinis evacuationem confugiendum erat: verum meminit STALPARTIUS VAN DER WIEL (oo) cujusdam Matronæ, cui tempore unius graviditatis quadragies ac novies vena ſciſſa fuit.

§. IV.

(ll) *Cent.* 1. *obſ.* 53. (mm) *obſerv. Cent. obſ.* 82. (nn) *operum Tom.* 2. *obſ.* 161. *pag.* 469. (oo) *obſ. Cent.* 1. *obſ.* 65.

§. IV. Alteram non minus frequentem ſuperiori cap. declaravimus abortus cauſam, uteri nimirum debilitatem, laxitatem ſeu Atoniam. Hanc §. XVIII. & XIX. vel hæreditariam, vel conſuetudinariam, aut ex prægreſſis puerperiis & abortionibus contractam eſſe diximus. Si ab hæreditaria diſpoſitione uterus eſt debilis, vitium hoc aut plane non, aut difficulter tolletur, & ſi quid tamen tentandum foret, extra graviditatis tempus Catamenia, quæ fere ſemper non rite ſuccedunt, per appropriata remedia in ordinem redigenda, fibræ uteri laxatæ interne per balſamica, tonica, martalia, externe autem per balnea artificialia ex aqua dulci & nervinis ſpeciebus parata, vel naturalia, qualia ſunt thermæ Badenſes, Mannersdorffenſes &c. firmandæ eſſent. Si a puerperiis & abortibus inducta eſt uteri laxitas, antequam fœmina iterum coëat & concipiat, uterinis, balſamicis, epithematibus, injectionibus, balneisque ſupra laudatis curanda erit. In hunc finem nobis elegantiſſima placet methodus, quam Werlhof Medicis communicavit practicis hic enim (pp) ita diſſerit: *Suevimus poſt abortionem ſingulis menſibus, per ipſum fluoris tempus, pilulas Stahlianas, aut ſimilia remedia exhibere, extra illum orgaſmum vel nihil, vel blanda hyſterica & interdum balnea miniſtrare, maxime poſtrema ante menſium terminum hebdomade, donec tempus juſtæ geſtationis abſolutum ſit, circa quod ſæpe tunc notavimus copioſius menſtrua; lochiorum inſtar, manare. Deinceps limaturam Martis, ſine ullius liquoris affuſione in ſubtiliſſimum pollinem redactam, remedium nobile, ſolam, aut uterinis mixtam, per menſem, vel ultra, legitime propinavimus. Atque ita haud infrequenter eo ſucceſſu beati ſumus, ut, quæ per frequentes abortus, aut ſymptomata his ſimilia, ſpem melioris ſortis amiſerant, Matres rurſum ſanæ & felices factæ ſint.*

§. V. Si præſente ſanguinis copia in gravida ſanguinis & humorum orgasmus v. g. ex ira, cibo nimis aromatiſato, potu vini largiori, æſtu ſolis, motu corporis impetuoſiori &c. accedat, & abortus præcaveri, vel imminens averti debet, præter tempeſtivam venæſectionem, & corporis ac animi quietem ſemper neceſſariam, temperantia, diluentia, emulſiva, acidula, & nitroſa ſatisfacient. Si poſt vehementem terrorem metus abortionis imminet, ſingulariter in plethoricis & huic malo obnoxiis fœminis, extremis non amplius refrigeratis, neque præcordiis conſtrictis, ſanguineque jam ad extimas partes propulſo, in venæſectione, antiſpaſmodicis, & ſic dictis antiepilepticis

 omne

(pp) *In obſ. de febr. p.* 301. *in notis.*

omne auxilium repoſitum eſt. Quod ſi vero a gravioribus animi pathematibus, purgantibus, paſſione hyſterica, tuſſi convulſiva, atrocibus doloribus, aliisque cauſis, quæ ſpaſmos in abdomine prægnantis excitare, uterumque irritare & concutere, ac avulſioni placentæ occaſionem præbere valent, abortus metuendus eſt, ſecuriora anodyna præter alia cuivis morbo appropriata remedia, reliqua incerta & tardiora medicamenta, longo intervallo poſt ſe relinquunt.

§. VI. Abortum ex ſaburra primarum viarum, aut alvi conſtipatione metuendum, præter leniora digeſtiva, enemata emollientia, & oleoſa, victumque appropriatum, prohibent leniora laxantia ex manna, Tamarindis, Rhabarbaro, Magneſia Nitri &c. propinata. In ingruente abortus diſcrimine, quando fœmina ex prægreſſa febre, aut alio quocunque morbo acuto, Diarrhœa, inedia, ſudoribus nimiis, vigiliis, mœrore &c. viribus exhauſta eſt, fœtusque ob alimenti inopiam, & deficientes ſuccos nutritios expelli poſſet, juſcula carnium juniorum animalium, vitelli ovorum, emulſiones, gelatinæ, lacticinia omne ferunt punctum. Si quæ mulier prægnans morbo acuto aut inflammatorio, aut variolis, aut morbillis prehendatur, celebrata in principio, & pro exigentia morbi & virium repetita venæſectio ſummam ad abortum præcavendum ſpondet utilitatem, propinata deinde, quæ nimium humorum motum deprimunt, morbo congrua medicamenta, & evitatum calidorum & calefacientium regimen, morbum debellare & abortum prævertere poſſunt; morbo vero exantlato Mulieri prægnanti analeptica, reficientia, & nutrientia ſupra jam commemorata ad novum abortus periculum avertendum propinanda ſunt. Circa Dyſenteriam, quæ gravidas etiam quandoque impetere ſolet, adhuc notandum eſt, quod præter alia a morbo indicata remedia, quam maxime continuo illi & quandoque vehementi tenesmo, per fotus emollientes, injectiones clyſterum ex mucilaginoſis paratorum, vel ſuppoſitoriis ex ſevo cervino, hircino, ſpermate ceti, cera alba, croco & tantillo oleo hyoſcyami compoſitis, obviam eundem ſit. Quando culpa cadit in nimiam anguſtiam uteri ex mala ejus nativa conformatione oriundam, aut in ipſum ſcirrhoſum, vel horrenda pinguedinis mole obrutum, cuncta conſilia medica erunt inania, ac irrita, cum nullis prorſus remediis malum durante geſtatione auſcultet.

§. VII. Quod ſi vero abortus proxime inſtare videatur, ita ut vaſa uterina ad rupturam fere ſanguine & humoribus impleta & diſtenta judicentur, aut ſpaſmorum vi irritante continuo vellicata conſiderentur, imo ſi jam quædam vaſculorum ex præſente hæmorrhagia rup-

ta

ta audiantur: in tali caſu præter clyſteres oleoſos, nitroſa, emulſiva, diluentia, antiepileptica, ad venæſectionem & ſecuriora anodyna tanquam ad ſacram anchoram confugiendum eſt.

§. VIII. Si vero ſanguis multus & jam grumoſus ex uteri cavitate inter immanes imi ventris lumborumque dolores profunditur, orificiumque uteri ab obſtetrice exploratum hiat, nulla arte abortus declinari, imo quantocius vel medicamentis, vel manuali operatione promovendus eſt, ne ex nimia hæmorrhagia vires fatiſcant, & Mulier ſub partus laboribus expiret. Itaque ea in uſum trahenda auxilia, quæ vires abortientis inter continua ſæpe animi deliquia langueſcentes reſtaurant, ac quoquo modo cuſtodiunt, & fœtus excluſionem accelerant. Eliſa enim, qua gravatus erat uterus, diſtendente & irritante ſarcina, vaſcula ſponte ſe contrahunt, ſanguisque nulla alia ratione coërcendus ſiſtitur.

COROLLARIA.

1. *ABortus eſt ſpaſmodico-convulſivus uteri motus, quo fœtus nondum perfectus, ſive vivus, ſive mortuus, nunquam tamen vitalis ante ſeptimum menſem ab utero gravidæ, præcedente utplurimum enormi ſanguinis hæmorrhagia, violenter ejicitur.*
2. *Datur inter vivum & vitalem fœtum differentia.*
3. *Medicus ſigna imminentis abortus bene cognoſcere debet.*
4. *Quibusdam Mulieribus ſine metu abortus catamenia fluere ſolent.*
5. *Quædam ſubjecta abortui magis obnoxia ſunt.*
6. *Sine cognita uteri ſtructura, abortiendi modus intelligi nequit.*
7. *Placentæ uterinæ avulſio proximam & immediatam conſtituit cauſam.*
8. *Plethora, ſeu ſanguinis nimia moles frequentiſſima eſt abortus cauſa prædiſponens.*
9. *Non infrequens etiam cauſa, uteri certa conſtituitur diſpoſitio & proclivitas.*

10. *Hæc in fibrarum muſcularium & vaſorum uterum componentium remiſſione, laxitate & atonia conſiſtit.*

11. *Quæ variis modis acquiri poteſt.*

12. *Fœmina, quæ abortum patitur, multo majore laborat periculo, quam quæ debito tempore parturit.*

13. *Abortus præcaveri poteſt, & debet.*

14. *Ad abortum præcavendum venæſectio eſt optimum auxilium.*

15. *Uteri debilitas ante novam conceptionem, non autem durante graviditate tolli debet.*

16. *In abortus præſervatione medicatio ſecundum cauſas dirigenda eſt.*

17. *Dantur caſus, in quibus abortus non amplius inhiberi, ſed potius vel medicamentis, vel manuali operatione procurari debet.*

F I N I S.

(6)

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA DE VARIOLIS,

QUAM

DIVINA FAVENTE CLEMENTIA,

DECRETO, AUTHORITATE, & CONSENSU

Perilluſtrium, Magnificorum, Spectabilium, Prænobilium, Excellentiſſimorum, atque Clariſſimorum Virorum &c. Perilluſtris, Magnifici, Spectabilis, ac Excellentiſſimi Domini Univerſitatis RECTORIS; Perilluſtris, Spectabilis, Clariſſimi ac Excellentiſſimi Inclytæ Facultatis Medicæ Domini DECANI; Venerabilis Domini Senioris; Sac. Cæſ. Regiæque Majeſtatis DD. Conſiliariorum, Archiatrorum; nec non DD. Profeſſorum, adeoque totius Ampliſſimi DD. Medicorum Collegii,

IN CELEBERRIMA, AC ANTIQUISSIMA

UNIVERSITATE

VIENNENSI,

Pro conſequendis ſummis in Arte Medica Honoribus, & Privilegiis, publicæ DD. Doctorum diſquiſitioni exponit

JOANNES FRANCISCUS DANIEL CLEMENT,

Sileſius Schildbergenſis, AA. LL. & Philoſophiæ Magiſter, Saluberrimæ Medicinæ Baccalaureus Formatus, & pro Suprema Laurea Candidatus.

Diſputabitur in publico DD. Medicorum Collegio, Die 10 Menſis Septembris horis poſt meridiem conſuetis Anno M. DCC. XLIX.

Typis Franciſci Andreæ Kirchberger, Univerſitatis Typographi.

PROŒMIUM.

SI quis eſt morbus, humano generi nocivus, profecto is erit, qui unus e locupletiſſimo morborum acutorum, ſimulque contagioſorum numero, & ideo vix non omnibus communis, periculo admodum plenus, a cunctis habetur Practicis; ſiquidem iſte omni tempore anni, plerumque autem vere & autumno quamcunque invadit ætatem, potiſſimum tamen tenera infantum, vix uteri materni ergaſtulum egreſſorum, & vix aëris vitalis participum corpuscula infeſtat adeo, ut iis non ſolum pulchritudinem, decorem illum exoptatiſſimum imminuat, atque multis theſaurum hunc plane tollat, quinimo propriæ vitæ inſidias interdum moliatur. Variolas intelligo, quas in principio, ſeu invaſione terribiles, in vigore horrendas, in declinatione turpes eſſe, quivis Practicorum abunde teſtatur; atque ideo reconvaleſcentes multi vivum earundem ſecumferunt teſtimonium. Solent non raro variolæ ſpecioſam, & exquiſitam medendi methodum, vim omnem vitæ, & medicamentorum, imo celeberrimorum Medicorum operam pertinaciter eludere, ut hi in tanta ægrorum calamitate Spectatores ſolummodo curioſi, & attoniti conſpiciantur; & ita, nil niſi miſerrima hoc morbo laborantis deprehendetur conditio, ſi dubium idcirco curationis eventum liceat contemplari. Sat ergo ex his manifeſtum videtur, in quam incerto, lubricoque ſit loco, tum morbus ille, de quo nunc ſcribo, tum praxis ipſa, quæ ei-

dem accommodanda eſt. Quanto enim vitæ periculo implicatus eſt morbus, tanto non minus labore, atque ſtudio is erit perſcrutandus, & exponendus. Eum itaque, quantum brevitas temporis hucusque admiſit, impendi conatum, ut morbum hunc, præ aliis indagatu ſumme neceſſarium, publica expoſitione digniſſimum, Eruditorum examini, Diſſertationis inauguralis loco proponerem, atque paulo vaſtius pro viribus meis dilucidarem. Clarioris idcirco perceptionis cauſa in quatuor ſtadia, nimirum: invaſionis, inflammationis, ſuppurationis, deſquamationis ſubdividere conſtitui; quæ ſi autem minus pro dignitate materiæ hujus expoſita, aut imperfecti quid illis additum, minusque aptum reperires L. B., illud pro humanitate tua, uti expedit, interpretare.

§. I.

Morbus, de quo ſcribere nunc mihi incumbit, variolarum nomine intelligendus venit, quæ quidem omni tempeſtate anni, maxime autem vere & autumno, graſſantur, omnemque ætatem (a), ne decrepitis quidem ſenibus, & in utero adhuc contento fœtu exceptis (b), potiſſimum tamen infantilem, puerilemque invadere ſolent.

§. II. Videntur autem hæ §. 1. ſuum exinde accepiſſe nomen, quod vel cutim varient (c), eamque pulchritudine deſtituant; vel ſecundum Arabes, ut vult Bonetus (d), Celſus (e), atque Ludovicus Mercatus (f), variolæ dictæ fuerint a varorum ſimilitudine, quod inſtar varorum in corpore emineant; hi enim ſunt puſtulæ quædam parvæ, rubicundæ, in ſummitate albicantes, continentes lentam albicantem materiam, puri craſſiori ſimilem, faciei cutim ut plurimum occupantes (g); quapropter, cum variolæ inſtar horum, licet febre prægreſſa, faciem præprimis occupent, illisque ſatis ſint ſimiles, haud incongruum foret, ſi ob vocabulorum concordantiam, atque ſimilitudinem quis dicat cum Hollerio (h), variolas a varis mutuaſſe nomen.

§. III. Sunt nonnulli, qui contendunt has §. 1. 2. græce vocandas eſſe ἐκθυμήματα, cum quaſi impetu erumpant; vel ἐξανθήματα ab ἐξανθέω effloreſco, hinc cutis efflorefcentias (i); ſed voces hæ cum nimis ſint generales, denotantes quamcunque humorum in cute eruptionem, ſatius erit, ut omnis harum vocum tollatur ambiguitas, ſi variolæ græce dicantur ἐκθυματα ab ἐκθυμίκω exhalo, evaporo, uti Diemerbrœck (k), & Blancardus (l) exponunt, quæ ſunt puſtulæ in

(a) *Freind Tract. de febr. in epiſtol. de purgant. p. 91. 92. editio in 4to.* (b) *Foreſtus L. 5. obſerv. 44. p. 196. it. Mœllenbroccius in Ephemerid. Germ. an.* 1670. *obſerv. 53. p. 150. it. Schenckius L. 6. obſerv. Tit. de Variol. & morbil. it. Fabritius Hildanus centur. 4. obſerv. 55.* (c) *Allen in med. pract. c. 1. p. 46. art 130. edit. venet.* (d) *In Theſaur. med. pract. T. 1. L. 1. c. 2. num. 3. p. 329.* (e) *Lib. 5. c. 28. de puſtul. & exanthem.* (f) *De puer. morb. L. 2. c. 22.* (g) *Blancard. Lexic. med. ad lit. it. Joan. de Gorter. in chirurg. repurg. p. 326. it. Paulus L. 3. c. 21.* (h) *L. 2. de morb. inter. Tit. de exanthemat.* (i) *Ætius L. 4. c. 1. p. 129. licet is per hæc exanthemata etiam variolas intellexerit: nam dicit in cute pulicum morſibus ſimiles effloreſcunt.* (k) *Tract. de Variolis.* (l) *Lexic. med. ad lit.*

cute eminentes, & ſuppurantes, per totum quandoque corpus continuæ. Noſtris vero audiunt die Pocken, oder die Kinds-Blattern.

§. IV. Magna vero diverſos inter Authores de variolis eſt diſceptatio, utrum novum conſtituant morbum (m), an veteribus jam cognitum? Si cum Zacuto Luſitano (n) eam inire liceat ſententiam, qualem ipſe non ſolum profitetur, atque demonſtrat, ſed & hanc Junius uti & Salmazius (o), quin imo Bonet (p) affirmat, minime tunc vereor, ſi & ego eorundem retinuero ſententiam, atque variolas morbos inter Veteribus jam cognitos non injuſte retulero.

§. V. Quanquam Hippocrates, Galenus, aliique antiquiores Græci peculiarem earundem §. 1. 4., & exactum non formaverint tractatum (q), arbitrari oportet, eas eſſe accidentia, febribus acutis, inflammatoriis ſupervenientia, atque eruptiones criticas, propriumque morbi genus non conſtituentes (r); vel in Græcia propter aëris clementiam tam benignas quandoque fuiſſe, ut medicorum curam non habuerint neceſſariam (s).

§. VI. Hippocrates quidem (t) refert, præter alios in illa peſtilenti conſtitutione morbos, magna quoque ecthymata ſeu papulas infeſtaſſe homines, licet exacte non deſcripſerit; verum clarius adhuc eas expoſuiſſe videtur in hiſtoria ægroti ſecundi (u): Silenum febri acuta vehementiſſima, capitis gravitate cum cervicis diſtenſione, lumborumque dolore, præcordiorum contentione utrinque ad umbilicum protenſa, ſubmolli, dejectionibus per alvum copioſiſſimis laboraſſe, atque tandem octavo die cum ſudore puſtulas rubentes, rotundas, parvas, varis non abſimiles, permanentes, nec abſceſſum facientes habuiſſe; ultimo demum ſopore detentum, & undecimo die mortuum fuiſſe.

§. VII. Concluditur idcirco, divum ſenem his exanthematibus §. 6. intellexiſſe variolas; imo quod pluris eſt, hoc adhuc confirmat Ludovicus Lemoſius (v), Sebaſtianus Auſtrius (x), Fracaſtorius (y), Coſtæus (z), Foreſtus (a), Rudius Euſtachius (b).

§. VIII.

(m) *A. E. L. an.* 1724. *menſ. Maj. p.* 226. (n) *Med. P. H. T.* 1. *L.* 2. *quæſt.* 2. *p.* 165. (o) *His ex Ætio & Valente L. de an. climact. pag.* 726. (p) *Loc. cit. p.* 334. *num.* 16. (q) *Schenkius obſerv. L.* 6. *p.* 840. (r) *Riverius prax. med. L.* 17. *c.* 2. *de Variol. p.* 461. (s) *Id loc. cit.* (t) *L.* 3. *epidem. ſect.* 3. *text.* 51. *& L.* 4. *epidem. num.* 26. (u) *L.* 1. *epidem. ſect.* 3. (v) *In ſuis ad cap.* 12. *Lib.* 5. *meth. Gal. comment.* (x) *Lib. de morb. pueror. cap.* 50. (y) *L.* 2. *de morb. contagioſ. c.* 2. (z) *In comm. c.* 6. *Aviſennæ in* 2. 4. *Tract.* 4. *de Variol.* (a) *L.* 6. *obſervat.* 42. (b) *L.* 3. *c.* 31. *de Variol.*

§. VIII. Non autem obſtat, quod hæ §. 6. octavo die prorupe- rint; teſtatur enim Sydenhamus (c), & Bonetus (d), fieri aliquando, ut ultra, quam ad quartum diem variolarum eruptio differatur ob atrocius quoddam ſymptoma, v. g. ſi acutiſſimus lumborum dolor, ingentes ventriculi ægritudines, a que ideo ſubſequæ enormes dejectiones ante eruptionem ægrum fatigant; hisce in caſibus, licet non frequentibus, variolas ſolito ſerius erumpere idem advertit (e), utpote ob ſymptomatum gravium violentiam impeditas, ſecundo ob vim vitæ languidam atque oppreſſam, ut hæc cauſam morbificam citius expellere non valeat.

§. IX. Galeno non minus notæ erant variolæ, quemadmodum ex ejus doctrina (f) apparet, ubi in febribus peſtilentibus eveniſſe puſtulas exiguas, & ulceroſas aperte demonſtrat. Arabes idcirco inter futuræ peſtis præſagia eas repoſuerunt: dum nempe accidunt variolæ, tunc exſpectantur febres peſtilentes (g); quare etiam Avicenna, variolas de ſumma ægritudinum contagioſarum eſſe, concluſit (h). Rhazes omnium unus, qui multa priſcorum Arabum ſcripta ſuo operi inſeruit, oſtendit, morbum hunc varioloſum aliquot ante ſuam ætatem ſæculis fuiſſe notiſſimum, atque primus ſpecialem de variolis tractatum conſcripſit (i).

§. X. Ex his §. 4. 5. 6. 7. 8. 9. abunde conſtat, hunc morbum non fore novum, ſed jam dudum Veteribus cognitum, licet non ita clare expoſitum; quippe ejus origo multo longius retro, quam vulgo creditur, ex Authoribus multis aliis inveſtigari poteſt (k).

§. XI. Ad aliam tandem majoris non minus momenti oportet tranſire materiam, variolarumque exponere hiſtoriam; & primo quidem, quidnam ſint? Variolæ igitur ſunt ſpecies febris continuæ, acutæ (l), inflammatoriæ (m), & exanthematicæ (n), pro ratione plus minusve malignæ, atque per contagium facile contrahendæ (o), qua mediante, critico veluti motu, materia varioloſa ad habitum corporis depo-

(c) *Oper. med. ſect.* 3. *cap.* 2. *p.* 135. *edit. lugd. in* 8*vo.* (d) *Loc. cit. p.* 332 (e) *Sydenham. loc. cit. p.* 126. (f) *In Lib.* 6. *epidemior. ſect.* 1. *com.* 29. *item L. de atra bile c.* 4. *item Lib. de bonit. & vitio ſuccor. cap.* 1. (g) *Avicenna* 1. 4. *Tract.* 4. *cap.* 3. (h) *Id loc. cit. cap.* 6. (i) *In Lib. inſcript. ad Almamanz. cap.* 10. 18. *item idem diviſion. Lib.* 1. 19. *item Freind in Tract. de febrib. in epiſt. de purgant. p.* 93. *hoc confirmat.* (k) *Freind in hiſt. med. p.* 274. (l) *Boerhaave in aphor. de cognoſc. & cur. morb.* §. 770. (m) *Id. loc. cit.* §. 1387. (n) *Coſchvitz in Pathol. p.* 236. (o) *Boerhaave loc. cit.* §. 1382. *item Goblius in prax. clin. p.* 303.

deponitur, ibidemque non ſine prurigine in forma punctorum inſtar morſus pulicaris (p) prorumpit, quæ ſenſim elevari incipiunt, hinc inflammantur, demumque ſuppurantur (q), atque ultimo tandem exſiccantur.

§. XII. De hac febre §. 11. univerſalis habetur obſervatio, quod ſemper ſub febrili typo, atque continuarum, & acutarum periodo decurrere ſoleat; in uno alterove licet ſubjecto hæc quandoque non ita urgeat. Non minus contagioſa quam plurimis ſæpe numero accidit (r); quæ omnia inferius magis deducenda erunt.

§. XIII. Duplex variolarum recenſetur ſubjectum, generale unum, ſpeciale alterum; primum ſunt ordinarie præ aliis infantes, atque pueri, qui hactenus illas nondum paſſi ſunt, ideoque dicitur morbus infantum, iisque congruus; experientia enim teſte, hos non modo longe frequentius, quin imo facilius variolis decumbere, præ adultis. Hoc autem ideo contingere videtur, partim ob majorem in hac ætate præſentem lymphæ copiam (s): partim ob laxitatem & mollitiem cutis (t), quæ faciliorem hujus materiæ eruptionem, atque ſuppurationem admittit: partim denique etiam ob animi libertatem, tunc temporis magis vigentem, quo ſe- & excretiones liberius longe, majorique tranquillitate procedunt (u). Infeſtantur quidem his nonnunquam adulti, majori tamen ſemper cum periculo, affirmante Boerhaavio (v).

§. XIV. Alterum vero ſubjectum, quod ſpeciale audit, non ſolum eſt habitus corporis externus, cutis nimirum; ſed & partes quandoque internæ, fauces, quin imo pulmones, hepar, & lien, inteſtina, cæteraque viſcera interna (x); hinc quoque periculum longe majus ſubeſſe creditur ratione harum partium ſtructuræ, teneritudinis, officiique nobilitatis (y); ægri idcirco etiam de viſcerum internorum ardore perſæpe conqueruntur. Proſtant non minus exempla (z) quam plurima, quod matres, variolis infectæ, imo variolantibus tantum aſſiſtentes, varioloſum etiam ediderint fœtum. Subjectum denique cauſæ morbificæ materialis, ſeu radicationis eſt maſſa ſanguinea & lympha

(p) *Boerhaave loc. cit.* §. 1396. (q) *Id loc. cit.* §. 1400. (r) *Coſchvitz loc. cit. it. Boerh. loc. cit.* §. 1380. 1382. (s) *Schvenke Hæmatol. c.* 4. *p.* 45. (t) *Boerh. loc. cit.* §. 1381. (u) *Coſchv. loc. cit. p.* 238. (v) *Loc. cit.* (x) *Id. ibid.* §. 1403. *it. A. N. C. dec.* 3. *an.* 7. *obſerv.* 97. *it. Rolfinc. med. conſ. L.* 4. *conſ.* II. *p.* 502. *it. Fernel. L* 2. *c.* 12. *p.* 503. *de abdit. rer. cauſ. it. Horſtius obſerv. anat.* 2. *it. Kerckring ſpicil. obſ.* 62. *it. Bonet loc. cit. p.* 330. (y) *Coſchv. loc. cit. p.* 239. (z) *Confer. Felic. Plateri P. M. T.* 3. *p.* 520. *it. Hildani cent.* 4. *obſ.* 55. *it. Bartholin. cent.* 2. *epiſt.* 85.

pha (a); ſiquidem hoc confirmant ſymptomata varia, variolas antecedentia, & concomitantia.

§. XV. Sunt nonnullæ variolarum inter ſe, morbosque alios differentiæ annotandæ; primo ratione materiæ in puſtulis contentæ inter ſe diſtinguuntur, quatenus hæ vel ſunt ſpuriæ, vel veræ: illæ duplices, vel lymphaticæ, vel fatuæ, die Waſſer- oder Wind-Pocken dictæ; vel duriores. 2. ratione figuræ, aliæ acuminatæ, die Spitz-Pocken; aliæ latæ, depreſſæ, die breite- oder Schaf-Blattern appellari ſolent (b). Veræ autem ob invaſionem dividuntur in regulares, quæ circa æquinoctium vernum ingrediuntur; in irregulares, quæ menſe Januario graſſantur (c); hæ autem ratione intermedii ſpatii, quod inter ſe in cute relinquunt liberum, ſunt vel discretæ, vel confluentes. Ratione vero modi afficiendi ex ſymptomatum præſentium vehementia, periculi magnitudine, decurſu, quin & tractandi methodo dijudicantur vel benignæ, vel malignæ, hinc vel ſporadicæ, vel epidemicæ, quæ modo apud infantes, pueros, atque adultos occurrunt.

§. XVI. Verum licet hæ differentiæ §. 15., & circumſtantiæ attentam medici conſiderationem mereantur, nequaquam tamen diverſas variolarum ſpecies efficiunt; manent enim ſemper eſſentialiter eædem, & febri continua, acuta, exanthematica plus minusve maligna ſtipatæ (d); differentiæ vero hæ §. 15. ut plurimum a cauſis occaſionalibus, regimine, medicatione, tempeſtate, ſtatu plethorico, cacochymico, rarius ab eſſentia morbi dependent (e).

§. XVII. Ab aliis morbis non minus exanthematicis differunt variolæ, nempe 1. a Morbillis, germ. Flecken oder Maſern dictis, nam hi, licet quandoque jam ante, jam poſt variolas, imo præſentibus ipſis erumpant, diſtincta tamen conſtituunt exanthemata; manifeſtant quidem ſe ut variolæ in cute, non autem ita elevati deprehenduntur, nec in ſuppurationem abeunt, ſed ſolum in lenticularem diffuſi magnitudinem, poſt aliquot dies, epidermide deſquamata, diſparent per inſtitutam diaphoreſim; accedit, quod hi magis cum tuſſicula ſub ſpecie febris catarrhalis ſemper incipiant. 2. a Rubeolis, germ. die Rötheln nuncupatis, quæ etiam ſunt exanthemata rubra, verum non tam elevata, neque ſuppurantia ut variolæ, nec etiam tam lata ut morbilli, ſed ſolum in longitudinem quaſi ſtriarum producta. 3. a febri urtica-

B ta,

(a) *A. N. C. dec. 1. an. 4. obſ. 283.* (b) *Maur. Hoffman. prax. chimiatr. L. 2. p.* 1033. (c) *Sydenham loc. cit. p.* 132. (d) *Id. loc. cit.* (e) *Coſchv. loc. cit. p.* 237.

ta, germ. Neſſel-Ausſchlag nominata, nam hæc ſe manifeſtat tuberculis rubris, in ſcalptione albis, duris, cum magno pruritu, ſæpe in toto corpore, nonnunquam in una parte nempe facie, brachio, aut femore &c. erumpentibus, ac ſi quis urticis cæſus fuiſſet, hæc modo evaneſcunt, & modo redeunt. 4. a Purpura rubra, ſive miliari rubra, germ. rother Rieſel-Ausſchlag dicta, quod hæc cutim afficiat exanthematibus rubris, magnitudine ſua ſemen milii æquantibus, elevatis, cum febre maligna & tuſſi, quæ primo circa collum, dein dorſum, tandem humeros, atque ſcapulas erumpunt, non ſuppurantur, ſed relictis ſquamulis furfuraceis exſiccantur. 5. a febri miliari alba, ſeu purpura alba, germ. weiſſer Rieſel-Ausſchlag nuncupata, quatenus hæc elevationes & exanthemata ad cutim, ſed alba protrudit. 6. a Scarlatina, germ. Scharlach-Ausſchlag nominata, in quantum æque ad peripheriam exanthemata rubra profert, nec tamen cum tanta elevatione ipſius epidermidis; quæ quidem primo anguſtiſſime penes ſe invicem erumpunt, tandem magis & magis diffunduntur, verumque eryſipelas æmulantur, atque ut imperiales latæ, imo latiores maculæ evadunt, tandem per totum corpus diſperguntur; ultimo rurſus diſparent cuticula ſquamatim decidente. 7. denique a Petechiis, quæ ſunt maculæ plus minusve rubræ, ſeu purpureæ, vel cæruleæ, vix non profunde quandoque nigræ, morſus pulicum referentes, non elevatæ, ſed ſub epidermide deliteſcentes, cum febri acutiſſima, atque ſumme maligna.

§. XVIII. Generalioribus hisce præmiſſis, ſpecialiora tandem exponenda, atque de variolis tam diſcretis, quam confluentibus, cum potiſſimum hæ præ aliis invadant infantes, ſcribenda erunt; cum vero utrarumque decurſus quatuor ſtadia abſolvere commode obſervetur, quorum primum contagii, & invaſionis; alterum eruptionis, & inflammationis; tertium ſuppurationis; quartum exſiccationis, & deſquamationis non injuſte vocari ſolet (f); idcirco etiam ſervato tali ordine ſingula accuratius deſcribere, iisque ſymptomata addere intendo.

§. XIX. Primum igitur, quod attinet ſtadium contagii hinc invaſionis, plerumque hæc complectitur phænomena: nam miasma varioloſum humoribus communicatum, iisque admixtum, effectus quosdam ſibi mutuo ſuccedentes producit; manifeſtat enim ſe potiſſimum horrore levi præcipue in adultis, non raro nullo, plane in tenerioribus & puſillis, qui eum, etſi adſit, exprimere nequeunt: rigore: calore, pro temperamentorum & ætatum diverſitate intenſiore, cum ſiti con-

(f) *Goblius loc. cit. p. 304.*

conjunctâ: capitis, dorſi, artuum, lumborum, partiumque ſcrobiculo cordis ſubjectarum, manu preſſarum, dolore maximo (g): ſummo ciborum faſtidio, non raro vomitu: ingenti in ſudores propenſione, in adultis potiſſimum ſigno futurarum variolarum diſcretarum (h), ſplendore oculorum, eorundem lacrymatione: quandoque tuſſi, & ſternutatione: pulſu frequenti, & pro ratione celeri: febri continua, acuta: ſæpe deliriis: narium interdum hæmorrhagiis, circa quartum diem contingentibus: fluxuque menſium: in adultis alvo adſtrictâ: in infantibus quandoque diarrhœis: ſtupore & ſomnolentia plerumque: nonnunquam inſultibus convulſivis, ſub veſperam evenientibus, hi futuras variolas deſignant ſecundum Sydenhamum (i); nam ſcribit, ſi infantes dentitione jam perfuncti fuerint, inter certiſſima inſtantis eruptionis ſigna eſt recenſendum, ita, ut ſi tali inſultu infans corripiatur veſperi, audeat prædicere, ſequenti aurora illas prodituras: hinc quarto die jam inchoant papulæ erumpere. In confluentibus ſunt quidem eadem ſymptomata, ſed longe vehementiora; neque tam prompta in ſudores eſt propenſio, ac in diſcretis: non minus & frequens adeſt diarrhœa(*k*).

§. XX. Cauſa horum ſymptomatum §. 19. proxima materialis videtur eſſe miaſma quoddam ſpecificum, acre ſtimulans (l), primo aëri inhærens (m), corpori dein, ad morbum contrahendum diſpoſito, communicatum, humoribus admiſtum, eorundem velocitatem, tanquam cauſam proximam formalem (n), hinc ſubſequam febrim acutam, inflammatoriam producens (o).

§. XXI. A priori non ita eluceſcit, cujus ſit indolis hoc miaſma §. 20. (p); licet a poſteriori, & ex effectibus opinio quædam formari valeat; ſiquidem illius conditiones, & virtutes colliguntur in eo conſiſtere: primo, quod ſit ſumme ſubtile, penetrans, agile, atque activum, ſpecialiſſimæ idcirco indolis (q), ut ſemel humoribus admiſtum adauctam eorundem velocitatem, hinc febrim, ſtaſes, inflammationes, exulcerationes, corruptionesque repentinas efficere valeat (r); e quibus conjecturari licet ſecundo, quod ſpecialem ſui alterationem,

(g) *Sydenh. loc. cit. p.* 132. *it. Boerh. loc. cit.* §. 1383. *it. Baglivius prax. med. L.* 1. *c.* 9. *p.* 62. *edit. Lug. in* 4*to.* (h) *Sydenham loc. cit. p.* 135. (i) *Loc. cit. p.* 132. 133. (k) *Id. ib. p.* 135. (l) *Coſchv. loc. cit. p.* 240. (m) *Boerh. loc. cit.* §. 1382. *it. A. E. L. an.* 1724. *menſ. Maj. p.* 226. 227. 228. *in tract. de Variolis auctore Cæſare Mareſcotti, in tertio progreſſu.* (n) *Boerh. loc. cit.* §. 1386. (o) *Id. ib.* §. 1383. & 1387. (p) *Bonet loc. cit. p.* 335. (q) *Gohlius loc. cit. p.* 303. (r) *Boerh. loc. cit.* §. 1386.

& correctionem non tam facile ſubeat, ita, ut ſine periculo in corpore permanere poſſit, ſed abſolute eliminationem ſui e maſſa humorum poſtulet, atque requirat (s).

§. XXII. Dicta hæc §. 21. adhuc magis confirmantur per variolarum transplantationem; ſi enim unica guttula puris varioloſi, diſcreti licet generis, vulnuſculo inflicto inſtilletur, tunc fiet illa diatheſis ob dictas antea cauſas, totaque dein ſanguinis maſſa inficietur, & variolæ orientur, pro ratione temperamenti, ætatis, & intrinſecæ conſtitutionis plus minusve malignæ (t).

§. XXIII. Cum autem hic morbus §. 11. epidemice ut plurimum (u) invadere ſoleat, neceſſe erit, ut quædam univerſalis ſtatuatur cauſa, quæ pluribus ſimul poſſit communicari, eosque afficere: teſtante enim Hippocrate (v): *communes morbi cauſam communem agnoſcunt*; idem præfatus (x) ulterius adhuc annotat: *Id autem eſt, quod inſpirando trahimus.* Erit ergo illa in aëre quærenda, affirmante etiam Jacobo a Caſtro in diſſertatione de variolis (y); Cæſare Mareſcotti in congreſſu ſui Tractatus de variolis tertio (z); non minus & Antonio Sidobre (a).

§. XXIV. Aërem variis cujuscunque naturæ effluviis (b) refertum eſſe, quivis concipit, qui perpendit, ea non ſolum ob validas terræ motiones, a ſubterraneis ignibus, vel etiam ventorum impetu excitatas, e recluſis telluris viſceribus emergere (c), ſed & idcirco ſalia diverſæ indolis, a terra prius adhuc figente, liberata ſenſim & ſucceſſu temporis in auras abire, fumosque deinde male olentes, homines infeſtantes (d), e certis fodinis, & cryptis exſurgere, quin imo e degentibus & exiſtentibus in globo terraqueo animalibus (e), vegetabilibus (f), mineralibus (g), & verbo ex omnibus corporibus (h) magna copia quotidie exhalare, & in aërem atmoſphæricum tanquam commune efflu-

(s) *Coſchv. loc. cit.* (t) *A. E. L. an.* 1723. *menſ. Maj. p.* 221. *Jacob a Caſtro in ſua diſſert. de Variol. it. Qualteri Harris prælection. de inoculatione Variolar. recenſit. in A. E. L. an.* 1722. *menſ. Febr. p.* 89. *it. Harris in diſſert. ſua* 3. *de Variol. recenſita in A. E. L. an.* 1725. *menſ. Jul. p.* 330. (u) *Boerh. loc. cit.* §. 1382. (v) *L.* 1. *de natura hom.* (x) *Id. loc. cit.* (y) *Impreſſ. in A. E. L. an.* 1723. *menſ. Maj. p.* 221. 222. (z) *Invenitur in A. E. L. an.* 1724. *ut ante dictum.* (a) *Recenſ. in A. E. L. an.* 1703. *menſ. Sept. p.* 410. 411. *& ſequent.* (b) *Lembke in compend. phyſ. experimental. L.* 3. *c.* 1. *poſitione* 1. *p.* 134. (c) *Cæſare Mareſcotti loc. cit.* (d) *Lieutaud Phyſiol. p.* 28. (e) *Gericke in ſua chym. rational. c.* 2. *de aëre* §. 412. *p.* 183. (f) *Id. ib.* §. 411. *p.* 182. (g) *Id. ib.* §. 417. *p.* 184. (h) *Id. ib.* §. 415. *p.* 183. 184. *it. Boyle in tractatu de mira ſubtilit. effluvior.*

effluviorum receptaculum (i) propelli, ibidemque congregari, atque ad tempus ſuſtentari (k), donec a diverſo aëris motu, varioque ejus ſtatu ſumme intricata excitentur phænomena, & ideo innumera morborum ſemina oriantur (l), ut humoribus admiſta non raro inferant pertimeſcendam labem (m), atque corruptelam (n).

§. XXV. Quibus §. 24. non minus varioloſa effluvia adnumerare licet; verum, unde hæc in aërem pervenerint, an ab exhalationibus terræ §. cit., an alia regione, ubi jam epidemice variolæ graſſantur, delata, an a priori laborante his communicata fuerint? determinare arduum eſt; licet Cæſar Mareſcotti (o) ab exhalationibus terræ illa deducat. Sufficit tamen ſcire talia in aëre hærere poſſe (p); ſiquidem conſtat, aërem, qui nos ambit, & quem inſpiramus omni momento, non eſſe unum fluidum homogeneum, quemadmodum Boyleus (q) optime demonſtrat; ſed continere infinitas exhalationes, vapores, & varia pro diverſa regionis atque loci conſtitutione, anni tempeſtate, aliisque circumſtantiis heterogenea.

§. XXVI. Notum eſt, inſenſibilem dari apud homines tranſpirationem (r), & hanc reſpectu regionis, tempeſtatis anni, naturæ, ætatis, ſtatus ſani, vel morboſi, aſſumptorum, aliarumque rerum non naturalium diverſam (s); ſic homines ætate vegeta, in aëre moderate calido viventes, ex octo libris ciborum, potuumque aſſumptorum intra viginti quatuor horas, quinque per inſenſibilem tranſpirationem amittere, comprobat Sanctorius (t). Quo itaque illud, quod perſpiratur, veniet? in auras profecto abibit, & hic inde difflabitur. Sit ergo aliquis variolis correptus, tunc, cum is ſemper & omni momento quid perſpiret (u), imo talis fiat ſecretio, qualis ſit ſanguis, non poterit non fieri deinde, quin ſemper quædam portio aëri communicetur. Licet autem hæc materia, perſpirans, ſit pars ſubtiliſſima, & ſumme volatilis §. 20. 21. 22., acris, in maſſa ſanguinea ante contenta, ſervabit tamen naturam hujus, unde habebat originem: ſiquidem effluvia ejus ſunt indolis, e quibus prius emanarunt (v), id quoque patet ex phyſicis experimentis.

(i) *Gericke loc. cit.* §. 419. *p.* 184. (k) *Id. ib.* (l) *Boerh. inſtitut. med.* §. 752. (m) *Id. ib.* (n) *Lieutaud loc. cit. p.* 28. 30. (o) *Loc. cit.* (p) *Boerh. aphor. de cognoſc. & cur. morb.* §. 1407. 1408. (q) *Loc. cit.* (r) *Ortlobius in diſſertat. phyſiol.* 18. §. 3. *p.* 138. *it. Jabob. Sponius aphor. nov.* 29. 30. *p.* 120. 121. *ſect.* 3. (s) *Sanctorius in Lib. de med. ſtat. ſect.* 1. *aphor.* 7. *it. Lieutaud loc. cit. p.* 191. (t) *Loc. cit. aphor.* 6. (u) *Bonet loc. cit. p.* 334. (v) *Berger Phyſiol. p.* 376.

§. XXVII. Si tandem quiſpiam in tali aëre varioloſo verſetur, is eodem undique ambietur, & ubique premetur; neceſſitabitur proinde reſpirare, hinc aërem effluviis illis §. 26. jamjam repletum inſpirabit: inſpirato autem hoc aëre ampliantur ſimul veſicularum pulmonalium interſtitia (x), qualia arteriæ & venæ pulmonalis ultimæ ramificationes permeant (y); a ſublata igitur preſſione dilatata hæc vaſcula fluido aëreo, pondere atmoſphæræ huc propulſo, ingreſſum admittunt, ſanguinique novus admiſcetur aër: ſiquidem extra omnem dubii controverſiam habetur, ſingula liquida, ſemel in motum acta, illuc ferri, quo minor obex ibidem occurrit; atqui ampliata vaſcula dicta, liberius patent, & præbent ſpatium ingreſſuro aëri; ideo minime mirum, ſi ab hiantibus his ultimis ramificationibus venoſis (z) ſingulo inſpirationis momento quædam aëris portio admittatur (a).

§. XXVIII. Tranſitus idcirco aëris in ſanguinem, & illius cum eodem miſcela a multis Medicis (b) habetur pro re demonſtrata; aër miſtus eſt ſanguini, ſed intime, & ſic diviſus in partes ſeparatas, ut nullum ſenſibilem aëris collecti effectum producat (c). Imo ex inſtitutis experimentis pneumaticis abunde patet, aërem ineſſe omni liquido (d), & animali ſat copioſum; facile igitur mediante aëre talia effluvia eidem communicabuntur, effectusque §. 19. poſitos pro ratione majori vel minori producentur, pro ægri conſtitutione, variaque illius natura; atque ita altero variolis jam correpto, poterit ſucceſſive locum illum epidemice invadere, longe lateque proſerpere.

§. XXIX. Quod autem mediante aëre effluvia varioloſa ſuam virtutem per magnam diſtantiam exerere valeant, liceat unam alteramve adnectere hiſtoriam, ratione effluviorum exhalantium & propagatorum: legitur una apud Boyleum (e), quod vir quidam, qui, cum Indias adiret orientales, atque ad littus inſulæ Ceylandiæ, cinamoni & fragrantium gummi copia famigeratæ, appropinquaret, ventum tum forte a littore reflantem advexiſſe ab inſula deprehenderit aërem omni-

(x) *Boerh. inſtit. med.* §. 197. 200. *num.* 2. (y) *id. ib.* §. 198. (z) *Berger loc. cit. p.* 14. (a) *Lieutaud loc. cit. p.* 108. (b) *Svammerdam de reſpira. it. Berger loc. cit. de reſpira. p.* 14. 44. *& ſubſeq. it. Bellinus opuſc. de mot. cord. propoſ. IX. p.* 59. *it. Lieutaud loc. cit. p.* 27. 107. *& ſubſeq. it. Gorter de perſpiratione inſenſib.* C. 13. §. 19. *p.* 154. *it. Schvenke loc. cit. pag.* 85. 86. *it. Bohnius circulanat. p.* 70. 71. *it. Ortlobius diſſert. phyſiol.* 3. §. 13. *p.* 22. *it. Bonet loc. cit. p.* 334. (c) *Schvenke loc. cit. p.* 86. (d) *Mariotte in tentam. de aëre* (e) *L. de natur. determ. effluvior.* C. 4.

omnino odoriferum, quamvis complura milliaria viginti forte & plura, a littore adhuc abeſſet. Confirmant hanc Ortlobius (f), Gericke (g), atque Bohnius (h), qui adhuc addit, quod pariter fragrantiam florum malorum aurantiorum ex Provincia Galliæ præternavigantes per quinquaginta milliaria perſentiſcant; quemadmodum rerum exoticarum ſcriptores, & per ejusmodi maria iter facientes teſtantur. Patet profecto ex his, aërem eſſe propagatorem effluviorum omnium in quælibet loca, eandem retinentium virtutem, unde effluxerunt (i). Si igitur hæc per tantum ſpatium propagari potuerunt, multo magis variolarum effluvia ab uno alteri communicabuntur.

§. XXX. Scitur non minus ex his §. 24. 25. 26. 29., aërem infectum, cibis, potibus, imo ipſi ſalivæ admiſceri, cum his in ventriculum, & inteſtina deferri, ſubſequo autem momento pars quædam ejus, ſubtiliſſima licet, cum chylo vaſa lactea intrabit, humoribusque deinde communicabitur (k). Nam quamvis minima ejusmodi aëris, miasmate varioloſo imprægnati, portio iis admiſceatur, utcunque quis credat, eundem tamen producet effectum ex allatis antea cauſis §. 21.

§. XXXI. Miasma ergo tale §. 20. humoribus ſemel communicatum, atque ad cor ipſum delatum, ſtimulo ſuo vellicabit ejus fibrillas, his irritatis, ſpiritus copia majori influent, cor idcirco ſæpius & fortius ſe contrahet pro diverſa ſtimuli hujus natura (l), ſanguinemque impetu majori propellet in vaſa vicina, ex his in alia, ejusque circulus ideo accelerabitur, & intra idem ſpatium eundem rurſus velocius abſolvet; quapropter in quantitate majori ad cerebrum, cerebellumque propulſo ſanguine, major hinc ſpirituum ſecretio fiet, vaſorumque latera vellicata crebrius ſe contrahent, ipſæ quoque meninges irritatæ copia majori expriment ſpiritus, unde & fortis, crebrior cordis contractio ſequetur, qua habita motus ſanguinis valde augebitur.

§. XXXII. Aucto itaque motu §. 31. augetur & vis propulſi ſanguinis in latera vaſorum, horum autem reactio, & reniſus in liquida major, hinc attritus mutuo inter ſe, ſubtiliſſimorum per vaſa lateralia diſſipatio, reliquorum in ſanguine inſpiſſatio (m), craſſiorum tandem propulſio in dilatata tenuiorum vaſorum oſcula (n), horum obſtructio, inflammatio (o), tumor cum rubore; interim in ſanguine momentum velo-

(f) *Diſſert. phyſiol.* 28. §. 13. *p.* 224. (g) *loc. cit.* §. 411. *pag.* 182. 183. (h) *loc. cit. p.* 382. (i) *Bergerus loc. cit. p.* 377. (k) *Jo. de Gorter loc. cit. p.* 43. 44. *it. Lieutaud loc. cit. it. Schvenke loc. cit.* (l) *Boerh. Aphor. de cognoſc. & cur. morb.* §. 99. (m) *id ib.* §. 100. (n) *id. ibi.* (o) *id. ibi.* §. 371. 372.

velocitatis per non obſtructa magis increſcit, celer fit pulſus, oritur febris, ſitis, calor (p), & quæ plura inde mala neceſſario ſequntur.

§. XXXIII. Patet idcirco ex §. 19. 31. 32. variolas in hoc ſtadio non differre a reliquis morbis acutis inflamatoriis (q), ob eadem concomitantia ſymptomata, perconſequens morbum etiam inflammatorium (r) eſſe; ſiquidem ſanguis, ob auctum motum, inflammatoriam acquirit diatheſim; confirmat enim hoc conſtans obſervatio, quod, ſi e vena variolis correpti primo invaſionis die mittatur ſanguis, pulcherrimus, ſalubri non abſimilis appareat; ſi vero ſecundo, tertio, aut quarto die vena apertura lata ſecetur, tunc magno cum impetu ſanguinem jamjam vitiatum, pleuritico atque inflammatorio ſimilem emittet (s), qui deinde vaſe exceptus, frigeſcens albam, duram, & pro ratione craſſam, ſupra cruorem hærentem, & eidem accretam cruſtam efformare ſolet (t); is etiam eo magis inflammatus apparebit, quo diutius morbus in primo ſtadio §. 19. duraverit.

§. XXXIV. Ad ſuſcipiendas variolas non minorem diſpoſitionem præbent inſigniores temporum anni, ut veris & autumni, mutationes: conſtitutio calida, & humida: vel etiam hyems auſtrina, & tepida (u): lacticiniorum, fructuum horæorum, aliorumque ciborum malæ digeſtionis uberior & longior uſus: motus corporis immodicus: vel quies continua: ſomnus & vigiliæ alternum naturæ modum excedentes: neceſſariæ vel aſſvetæ evacuationes intermiſſæ: aut ſe- & excretiones neglectæ: animi pathemata, quemadmodum terror, & metus ex viſis variolis conceptus (v): quibus accenſetur converſatio, & decubitus cum ægrotis, variolis laborantibus. Sunt quidem multæ perſonæ imo familiæ, quæ his affectibus nunquam obnoxiæ fuerunt (x); per hoc patet, quod non per ſanguinem maternum fœtui communicatum fuerit miasma, ſed per aërem homo inficiatur; quemadmodum etiam a graſſantibus quodam in loco variolis homo liber permanet, & præſervatur, ſi ab eodem ad tempus procul recedat, purioremque aërem exquirat.

§. XXXV. Ex dictis eruenda erit diagnoſis, quamvis difficulter quis prædicere valeat ex præcedentibus §. 19. ſignis, ſubſecuturas variolas,

(p) *id. ib.* §. 382 *it. Schvenke loc. cit. C. XVI. p.* 154. (q) *Boerh. loc. cit.* §. 1387. (r) *Freind in commentar. VII. de febr. p.* 43. *edit. in 4to.* (s) *Boerh. loc. cit.* §. 1384. (t) *id. ibi.* 384. *it. Schvenke loc. cit. C. II. p.* 162. (u) *Sydenham loc. cit. p.* 40. 41. (v) *Bonet loc. cit. p.* 334. 335. (x) *Diemerbroeck tract. de Variol. Cap.* 3.

las, ideo quia primum hoc ſtadium habet quid commune cum omni morbo inflammatorio (y), atque multis epidemicis, a ſtimulo inflammatorio ortis; verum his non obſtantibus fere ex cognitione tunc regnantis epidemici morbi dignoſcetur; ſecundo ſi æger nunquam laboraverit variolis, quæ tamen actu graſſantur; & ſi ſymptomata contagii ſuſcepti adſunt; vel ſi æger verſatus ſit cum hominibus varioloſis, indeque miasma acceperit; certo denique docent ſub finem hujus ſtadii §. 19. erumpentes puſtulæ, futurum morbum variolarum.

§. XXXVI. In hoc ſtadio raro adeſt periculum; durat quidem varie pro varietate epidemica, & tempore anni; quandoque enim ob vehementiam morbi primo jam die finitur, in quo nempe eruptio variolarum contingit, hinc hæ peſſimæ ſolent eſſe; interdum ſecundo erumpunt, quæ quoque malæ ſunt indolis; ſi autem tertio die appareant, mitiores deprehenduntur; pro diverſa tamen ratione periculum quandoque portendunt; quo longius itaque hoc ſtadium durat, eo melius ſignum; unde etiam illi, quibus ab initio quartæ diei apparent variolæ, vix periclitantur: convulſiones in infantibus, ſi obveniant ex improviſo, erunt vel ex dentitione, vel ex variolis; & ſi variolæ poſt inſultum prorumpant, erunt ſemper boni moris, raroque confluent (z); hinc non metuendæ (a); ſolent quidem hæ illis accidere funeſtæ, ſi videlicet non ſimul variolæ erumpant, attendendum ergo eſt ſymptomatibus convulſiones accedentibus: diarrhœa in adultis modica, non contemnenda, in infantibus vel major bona. Refert Meibom (b) hiſtoriam, puerum quemdam, cum aliis morbo varioloſo jam infectis cohabitantem, ad quartum usque diem ſymptomata, eruptionem præcedentia, habuiſſe; ſed, cum is in ſupervenientem diarrhœam cum horribili fœtore incidiſſet, liberum a variolis permanſiſſe. Narium & menſtruorum fluxus, niſi nimii contingant, non ſunt pertimeſcendi, præprimis in plethoricis. In ſanguine e vena ſecta educto, ſi cruſta alba, magna, craſſaque, qualis in omnibus morbis inflammatoriis obſervatur, in ſuperficie appareat, ſignificat variolas fore copioſas, & valde periculoſas; hoc enim pluries ſe obſervaſſe teſtatur Baglivius (c).

§. XXXVII. Quod curam hoc in ſtadio attinet, videtur conſiſtere in materiæ morbificæ correctione, febre attemperanda, atque vario-

(y) *Boerhav. oc. cit.* §. 1387. (z) *Sydenham loc. cit. p.* 589. *it. Baglivius Prax. med. L. I. C. IX. p.* 62. (a) *Michael Prax. clin. caſ.* 25. *de Variolis p.* 575. (b) *in ſua diſſert. de Variolis* (c) *loc. cit. p.* 61.

variolarum eruptione, nec nimis acceleranda, nec impedienda, ſed in moderando naturæ motu (d). Quare non ſemper vena ſecanda (e), hirudinesve applicandæ ſunt, neque ſemper ab his abſtinendum. Poterunt itaque hæ evacuationes omitti ultimis diebus, dum variolæ ſunt in procinctu eruptionis, vel etiam languente, aut ſat moderato motu; in uſum autem vocabuntur nimia humorum velocitate, febre vehementi, corpore plethorico, diæta calida prægreſſa, ſanguine magna copia quodam in loco effluente, delirio forti, topica quadam inflammatione præſente.

§. XXXVIII. Si initio mali nulla inflammati ventriculi adſunt indicia, tunc pro ratione prægreſſorum, aut præſentium poſſet exhiberi vomitorium (f) ex radice ipecacuanhæ pro varia ætate in doſi diverſa; vel ſi locum non haberet, per enema poſſet inſtitui evacuatio v. g. ex decocto emoll. carminat. cum juſculo ana fact. addito oleo amygdal. d. ſaccharo, atque modico nitri, & vitello ovi (g), per hæc & ſimilia blanda enemata optime educuntur feces absque incommodis.

§. XXXIX. Materiæ morbificæ vim demulcebunt abſorbentia, & diluentia (h), hinc mox in principio mixturæ, ex illis præparatæ, dein infuſa theiformia atque decocta pro potu ordinario exhiberi poterunt, v. g. pulveres (i) poſſent inſervire, facti ex corn. cerv. phil. præpa. cryſt. mont. antim. diaphor. ocul. cancr. citrat. matr. perl. & conch. acido citr. ſaturatis, cinnabar. nativ. modico nitri, propinandi in vehiculo ex aquis ſcorzon. ceraſ. n. flor. ſambuc. C. B. ſcabios &c. pro potu autem ordinario decoct. citr. Mynſich. vel decoct. antifebrile, vel aliud ex C. C. raſp. rad. ſcorzoner. ſarſaparil. liquirit. ſem. fœnic. factum.

§. XL. Febrim attemperabunt eadem jam dicta §. 38. 39. plane ſi nitroſis & cinnabarinis blanda acida miſceantur, ut ſyrup. acetoſit. citr. rib. &c. non minus & decocta humectantia, ut avenaceum tenue cum amygdal. d. in emulſionem redactum; ſerum lactis Hoffmanniana methodo paratum; aqua hordei cum ficubus decocta; emulſio ex decocto ſcorzon. & C. C. amygdal. d. ſem. 4. frig. cum ſaccharo, cui ad nimium

(d) *Freind. loc. cit.* (e) *De vena ſecanda vid. Schaperi diſſ.* ob die erſte Aderlaß von Tode errette §. 11. *it. Meibom loc. cit.* §. 29. *it. Sydenham ſched. monit. p.* 592. *item Baglivius loc. cit. pag.* 61. *venæſectionem jubet.* (f) *Maur. Hoffman. Prax. chymiatr. p.* 1034. 1035. *it. Frid. Hoffman. Tom.* 4. *P.* 1. *p.* 155. (g) *Id. ib. ſuppl. de morb. infant. p.* 45. (h) *Gohl. loc. cit. p.* 307. (i) *Frid. Hoffmann. Tom.* 4. *P.* 1. *p.* 151.

mium motum humorum temperandum commode additur ſyrup. papav. errat. alb. (k).

§. XLI. Ad promovendam exanthematum eruptionem conducerent eadem §. 39. & quæ diaphoreſim ſine multo ſtimulo promovebunt; his addantur pulvis bezoard. Lud. ſpecific. cephal. M. &c. maxime autem diaphoreſis facilitatur, ſi blandi, & calidi potus ut infuſa ex herbis ſcabioſæ, Veronicæ, beton. Galeg. flor. papav. rhæa. aut etiam juſcula, aliaque hujus generis in uſu ſint. Æger neque incluſus validioribus opprimatur ſtragulis (l): pedibus epiſpaſtica pro neceſſitate admoveantur: diætam ſervet tenuiorem, ne vis vitæ in ſuo opere perſiciendo turbetur: cibi ſint facilis digeſtionis, & qui difficulter alcaleſcunt; ideo attendendum, ſi dentur juſcula carnium, ſemper tenuiſſima ſint, vel avenacea, vel hordeata &c. hic etiam conferunt decocta, varie præparata. Abſtineat æger a carnibus, & earundem validioribus juſculis. Aër ſit temperatus. Si vero motus, quo minus expulſio materiæ morbificæ adjuvaretur, langueret, cardiaco excitari poſſet; ſed longe frequentius motus excedens, quam deficiens deprehenditur.

§. XLII. Secundum Variolarum ſtadium continet completam earundem eruptionem, cum ſuis appropriatis ſymptomatibus; hoc vero in diſcretis quarto potiſſimum ab invaſione die incipere ſolet (m): & deſinit 8vo, 9no, vel 10mo. Erumpunt igitur hinc inde puſtulæ exiguæ, ſubrubræ, primum in facie, dein collo, pectore, atque tandem toto corpore, leviter ſupra cutis ſuperficiem elevatæ: hoc tempore febris, ejusque ſymptomata inſigniter minuuntur, interdum plane deſinunt (n): in adultis manet in ſudores propenſio, non cohibenda, licet leviter tantum tegantur, quæ quidem Diatheſis non niſi puſtulis, jam maturationem attingentibus ſua ſponte ægrum deſerit. Fauces incipiunt dolere, moleſtiorque deglutitio oritur, quæ una cum puſtulis ſurgentibus adhuc magis augetur. Puſtulæ hæ ſecundo & tertio ab eruptione die non tantum baſes ſuas ampliant, ſed & quarto die acuminatæ magis evadunt, atque in veſiculas elevantur, liquorem tenuem continentes, qui de hora in horam flavior evadit, & ad perfectioris puris indolem accedit. Facies magis & magis intumeſcit, palpebræ tumefactæ oculos claudunt, cutis varioloſas inter puſtulas inflammatione, rubore, tenſione & dolore afficitur (o).

 §. XLIII.

(k) *Id. ib.* (l) *Sydenham loc. cit. p.* 548. *item Frid. Hoffmann. loc. cit. p.* 170. (m) *Sydenham loc. cit. pag.* 133. *&* 589. (n) *id. ib. p.* 590. (o) *Boerh. loc. cit.* §. 1396. *it. Sydenham loc. cit. p.* 133.

§. XLIII. Alio longe modo in confluentibus hoc obſervatur ſtadium: tertio enim jam ab invaſione die, imo citius quandoque incipit, longiusque deinde excurrit; puſtulæ emergunt, ſed plures, ſæpe quidem initio diſcretæ, verum mox implicantur; ſæpe jam in exortu ſibi invicem ſunt implicitæ, & ſe habent inſtar veſiculæ rubræ, faciem totam contegentis, hinc etiam maturius, quam in diſcretis facies intumere ſolet. Facta ergo eruptione ſymptomata ad ſummum remittunt, imo ſæpe nec hoc contingit, raro idcirco ceſſant. Majores quidem de die in diem evadunt; ſed nunquam diſcretarum magnitudinem, ratione elevationis, attingunt, ſed ad inſtar pelliculæ albæ, veluti agglutinatæ, ſuperficiem cutis non multum ſuperant; neque liquor veſiculis contentus eam acquirit flavedinem. Cætera ſymptomata longe graviora deprehenduntur. Diarrhœa in infantibus (p) obſervatur, ſed non ita mature eos invadit, ac ptyalismus adultos; verum illa, quocunque tempore ingruerit, niſi arte ſiſtatur, ſingula morbi ſtadia percurrit. Salivatio in adultis (q), quæ quidem rarius in diſcretis, conſtanter tamen in confluentibus adeſſe ſolet (r); propterea autem non ſequitur, quod abſolute & ſemper adeſſe deberet. Dicta ſalivatio ſæpe jam primo hujus ſtadii die incipit, unde per hanc materia primo tenuis excernitur, facileque ad tempus rejicitur, neque ita male olet, ut in ſalivatione, mercurio excitata, durat usque ad undecimum diem (s). Apparet idcirco, naturam has evacuationes ideo ſubſtituere, quod alias materia illa morbifica non ita penitus poſſet eliminari, ac in puſtulis illis majoribus, magisque elevatis, diſcretis nimirum. Cæterum frequenter adhuc in hoc ſtadio phrenitis (t) occurit: quandoque coma, ut æger ferme nunquam evigilet, niſi excitetur; quibus adhuc aſſociantur petechiæ, narium hæmorrhagiæ, mictus cruentus, hæmoptoe, fluor menſtruus, urinæ ſuppreſſio.

§. XLIV. Utrarumque §. 42. ℞. ſtadium pro diverſa epidemici, temperamenti, magnitudinis morbi, regiminis, & temporis conſtitutione durare ſolet, in diſcretis potiſſimum ad octavum usque diem: in confluentibus ultra; atque in hoc inflammatio ſuum abſolvit decurſum, dum nimirum puſtulæ ſuppurantur & in totidem parva apoſtemata convertuntur (u).

§. XLV. Expoſitis his cauſa morbi, atque ſymptomatum apparet, quin imo diagnoſis, & prognoſis dignoſcitur: quo enim mitius primum

(p) *Freind loc. cit. p.* 43. 44. (q) *id ib.* (r) *Sydenham loc. cit. p.* 137. (s) *id. ib. p.* 138. (t) *id ib. p.* 141. (u) *Boerh. loc. cit.* §. 1396.

mum fuerit contagium, levior hinc inflammatio; quo lentius erumpunt puſtulæ, eo morbus evadet mitior; quo pauciores & diſcretæ, non minus & elevatæ, pure ſimul repletæ atque regulariter hunc curſum abſolverint, nullisque gravioribus ſymptomatibus ſtipatæ fuerint, nullum etiam periculum portendunt. Quo magis ſpatium intermedium rubet, calet, tenditur, hinc tumet, circa tempus abſceſſus, bonum præbet ſignum; quo vero plus pallet, vel fuſcum evadit, eo pejus: angina enim ſequitur lethalis, aut peripneumonia, niſi ſalivatio, vel ingens tumor manuum & pedum acceſſerit; ratio eſt, cum hic impedita humornm ſit circulatio, ad interiora vero augeatur (v).

§. XLVI. Contra autem ſummum minitantur periculum, ſi primum ſtadium vehemens, puſtulæ multæ, ſibi quaſi implicitæ, vita prægreſſa lauta, remedia velocitatem humorum plus augentia, quam temperantia, uti ſunt Theriaca, aqua theriacalis, pulvis Kentianus &c. æſtas fervidiſſima anteceſſerint (x). Si variolæ in obeſis contingant: ſi ſubjecta ſint adulta, vel aliunde ſummam humorum corruptionem habeant conjunctam: ſi nimis mature prodeant: ſi exiles & acuminatæ, minus inter ſe ſpatium relinquant: ſi febris in eruptione excedat: ſi punctum nigrum habeant, vel plane ſint nigræ, peſſimæ omnino ſunt notæ, brevique ægrum moriturum plerumque nunciant. Si circulo rubicundo careant: ſi inter variolarum interſtitia petechiæ, aut maculæ miliares occurrant, mortis fere ſemper ſunt prænunciæ (y). Si ad finem inflammationis veſiculæ, lympha rubella diſtentæ appareant, gangrænoſæ indolis ſunt indices; nam hæ non abeunt in ſuppurationem, ſed ſtatim ob morbi violentiam tranſeunt in ipſam gangrænam (z). Si convulſiones ſuperveniant. Si phrenitis accedat, tam mali ominis notam eſſe recenſet Freind (a), ut, qui hoc periculo conflictatus ad ſanitatem pervenerit, fere neminem adhuc viderit; ſic quoque mictus cruentus malum denotare ſolet (b). Patet igitur, hoc ſtadium eſſe unum e periculoſiſſimis, variosque pro varietate ſymptomatum diſcriminis gradus habere.

§. XLVII. Cura idcirco eo dirigenda eſt, ut omnia tollantur impedimenta, quæ felici eruptioni, aut jam prodeuntium ſuppurationi contrariantur; ſecundo, cum etiam hic varia ſint notanda, nempe, dum variolæ erumpunt, replentur, atque ultimo, ſi inflammatio ur-

 geat,

(v) *Id. ib.* 1398. (x) *id. ib.* §. 1397. (y) *Sydenham loc. cit. p.* 141. (z) *Boerh. loc. cit.* (a) *Tract. de febr. in epiſt. de Variol. gener. p.* 122. 123. *lol. cit.* (b) *id. ib.*

geat, variis quoque remediis ſuccurrendum erit. Quare primo ſatisfiet, per regimen moderatum, diluentia, humectantia, ut §. 39. 40. Verum præter variolarum eruptionis promotionem attendatur, ut ſalivatio ſuſtineatur, atque convulſiones præcaveantur; omnem idcirco paginam abſolvent pulveres bezoard. L. epilept. de gut. River. analept. frig. angl. Kentian. incompl. ſpec. de gem. frigid. Zvelf. ſpecif. ceph. M. dati ex aquis C. B. Scorzoneræ, flor. paralys. flor. til. admixto ſyrupo C. B. vel alio. Si vero vis vitæ langueat, ut eruptio atque propulſio ad vota non ſuccederet, poſſet mane & vesperi exhiberi pulvis ex pulvere Bezoard. Senner. Bezoard. comm. pann. rub. epilept. de gut. Riv. & ex prioribus vel aliis compoſitus; ſumptis his & ſimilibus, vel mixturis ſuperbibatur infuſum theiforme ex ante dictis ſpeciebus §. 41. Frid. Hoffmannus hunc in finem propinat emulſionem (c) ex ſem. nap. C. M. aquilegiæ āa drach. una, aquæ flor. ſambuc. galeg. C. B. ana unc. una f. l. a. emul. add. antimon. diaphor. drach. un. ſach. perlat. q. s. adſtruit citatus Author, quod efficaciter expellere ſoleat liquor bezoardicus ad mentem Buſſii paratus, cum tripla portione liquoris ſui anodyni mineralis propinatus.

§. XLVIII. Ut igitur non ſolum hæc propulſio promoveatur, ſed & ſufficiens materia pro repletione ſuppeditetur, maxime ideo ſint in uſu juscula, & infuſa ante memorata. Si materia nimis tenuis, & limpida appareret, adhiberi poſſet cremor avenæ, atque hordei. Si vigiliæ nimis urgeant, papaverina, ut & diacodium liquidum conferrent. Præterea ad inflammationem nimis urgentem imminuendam, quæ aucta noſcitur ex febri, inquietudinibus, ſenſu doloris, tumore, circulorumque rubrorum diffuſione, erunt porrigenda attemperantia, & non expellentia; ut pulveres ex matr. perl. præp. vel margarit. oriental. analept. frigid. Zvelf. ſpecif. cephal. M. nitr. papaver. vel ex ocul. cancr. citrat. epilept. de gut. River. cinnab. nativ. nitr. & ſimilibus aliis: in his autem caute procedendum eſt. Si vero a contrario febris inflammatoria non eſſet ſufficiens, quæ ex pulſu oppreſſo, abſentia febris, tumoris, & circulorum &c. obſervatur, potius alexipharmaca præſcribenda veniunt, ut pulv. bezoard. Senner. angl. Kentian. pann. rubr. vel etiam in mixtura propinari poſſunt; his adhuc addantur Elect. diaſcord. Theriac. ſmaragd, confect. de hyacinth. Mithridatium, rad. pareiræ bravæ, ſerpentar. virginianæ, myrrha &c. Diæta ut prius eligenda erit, poſſet quidem aliquantulum panatellis in-

(c) *Loc. cit. p.* 152.

indulgeri, ut æger refocillationem conſequatur. Ultimo attendatur, ne externi aëris frigiditate retropulſæ variolæ, viſcera deinde interna occupent, & lethales evadant (d).

§. XLIX. Tertium jam ſtadium ſupereſt, ut quoque exponatur, in quo nempe variolarum ſuppuratio perficitur, abſolvitur, & pus maturum evadit, atque deinde abſceſſuli escharam contrahere incipiunt. Initium autem hujus in diſcretis ut plurimum octavus a prima invaſione contagii dies eſt (e), licet cæterarum partium variolæ tardius, quam faciei hoc ſtadium abſolvant: initio enim facies tumidiſſima, & palpebræ ſumme inflatæ, tumorque deinde manus, digitosque pro puſtularum numero diſtendens (f), quin imo etiam pedes cum dolore tenſivo occupans, fere ſemper obſervatur; atque puſtulæ, quæ ante ſubalbebant, jam in molem ſupra cutim maxime elevatæ, & acuminatæ, circuloque rubicundo cinctæ, liquore flavo purulento turgidiſſimæ pro ratione hoc vel nono die deprehenduntur, atque ex lævibus ad tactum jam aſperiores fiunt, illarumque ſummitatibus craſſior quædam materia, lemis oculorum non abſimilis, adhærere incipit, quæ de die in diem augetur. Decimo vel undecimo die facies primo, deinde & aliæ partes ſenſim & ſenſim detumescere incipiunt, ruborque, hinc inflammatio inter variolarum interſtitia antea præſens nunc evaneſcit; interim puſtulæ faciei maturitatem, & juſtam piſi grandiusculi magnitudinem (g) jam adeptæ vel exſiccantur integræ, vel rumpuntur, & pus contentum effundunt, hinc concidere, exarescere, & escharam contrahere incipiunt, reliquæ autem in corpore hanc mutationem tardius ſubeunt. In diſcretis his obſervatur, quod febris, quæ ſub finem prioris ſtadii plerumque rediit, jam non amplius adſit, jam exacerbetur.

§. L. In variolis confluentibus tardius hoc ſtadium contingit: nam aliquando undecimo, decimo quarto, imo decimo ſexto die evenit; ſed quo tardius, eo pejus eſt indicium; tanta intumeſcentia, tantaque puſtularum elevatio nunquam obſervatur, quanta in diſcretis; rarius quoque in iis reperitur pus perfectum, & concoctum; pellicula quidem alba quotidie paulatim magis exaſperatur, judice digito, ſed ad colorem fuſcum, non flavum uti in diſcretis, vergit; nam quanto atrociores hoc in genere variolæ fuerint, tanto etiam magis puſtulæ matureſcentes ad colorem ſubfuſcum tendunt; tanto quoque lentius, ſi

(d) *A. N. C. dec.* 3. *an.* 7. *obſerv.* 97. (e) *Sydenham loc. cit.* 590. (f) *Id. ib. p.* 134. (g) *Id. ib. p.* 590.

ſi ſuam ſervarint malignitatem, abſcedunt (h). Salivatio imminui incipit: ſaliva enim viſcida, tenaciſſima evadit, ut difficillime poſſit exſcreari; ſiticuloſus fit æger, tuſſitque inter bibendum, ut potus per nares revertere quandoque cogatur; hinc ſumma anxietas infeſtat ægrotos, tandem deſinit ſalivatio undecimo die; licet aliquando, rarius tamen, rurſus recrudescat, ubi per unum alterumve diem ceſſarit; dicto die tumor faciei quoque imminuitur, & ejus loco, manus inſigniter intumeſcere ſolent (i). Urinæ copioſiſſimæ fluunt; febris inteniſſima exoritur.

§. LI. Colligitur jam ex illis §. 31. 32., quomodo ſuppuratio inflammationem ſequatur: nam poſtquam cauſa illa §. 20. motum vitalem ad tantum incitaſſet gradum, ut mediante hoc ſanguis in lenteſcentem, verbo lentorem compingeretur, atque in arterias plane lymphaticas propulſus (k), hinc ejusdem ſtagnatio ſubſecuta fuerit; quare jam motus ſtagnantis hujus ſupprimitur, & ideo ſuæ naturæ ut plurimum traditur. Ex hac ergo ratione reſolutionis fit incapax, fibræque tunicarum arteriæ redduntur debiles (l), quoniam diameter arteriæ diu nimis in ſtatu violento, maximo permanere debuit, atque propterea ejusdem elater amiſſus fuit, quo minus illa actionem ſuam elaſticam exercere valuerit. Interea molecularum abſoluta fit ſeparatio, factaque partis aquoſæ evaporatione, gelatinoſum a globulis rubris diſcedit; tumque a nova, ex corde advecti, & a tergo prementis ſanguinis mole, demumque ſua & arteriarum vi arteriolæ, in cute diſtributæ, dilacerantur, permanentibus tamen & increſcentibus ſymptomatibus, nimirum puſtulæ magis elevantur, hinc tumore, dolore, calore, febri; quæ contingunt circa octavum, undecimum diem; monet enim Hippocrates (m): circa generationem puris, dolores & febres magis urgere, quam facto ipſo.

§. LII. Dilaceratæ §. 51. arteriolæ liquores jam ſecretos in interſtitia plerumque membranacea, & celluloſa emittunt (n), atque illi hic loci ſibi ſedem figunt; corruptio hinc ſolidorum, ac fluidorum levis, putreſcens incipit (o); adeſt liquidi jam effuſi cum ſolidorum fibrillis minimis attritus, ideo harum ſolutio (p), & cum excreto liquido permiſtio, ſtatus idcirco morbi habetur; unde blanda ex albido fla-

(h) *Id. ib. p.* 136. 137. (i) *Id. ib. p.* 138. 141. (k) *Gorter in chirur. repurg. p.* 115. (l) *Vid. Schreiberi Elem. Med. Phyſ. Mathem. T.* 1. *L.* 2. *c.* 1. §. 38. 45. (m) *Sect.* 2. *aphor.* 47. (n) *Boerh. loc. cit.* §. 387. (o) *Id. ib.* §. 82. (p) *Schreiber loc. cit.* §. 62. 63.

flaveſcens, tenax, ſpiſſa, glutinoſa, & pinguis materia emergit, puris nomine donata (q); & ſic tota abſolvitur ſuppuratio, ſi hæc cum ſymptomatum omnium declinatione fiat.

§. LIII. Ex his §. 49. 50. 51. 52. eruitur, maximum, & varium pro varietate ſymptomatum in hoc ſtadio eſſe periculum, in utroque quidem genere variolarum a febre; in confluentibus ſimul etiam ab imminuta, & ceſſante ſalivatione dependens; ſi enim tempore maturationis inflammatio, atque intumeſcentia faciei & manuum abſit, peſſimum eſt ſignum, potiſſimum mors brevi ſequitur; unde non minus a contrario id ſperare licet, ſi hæc quidem adſint, ſed ſubito recedant, vim enim vitæ denotant inſufficientem, materiæque morbificæ retroceſſionem. Variolæ ſuppurationis tempore non flavæ, ſed quaſi limpidæ & aquoſæ permanentes, ſunt vel funeſtæ, vel morbi alii eas ſequuntur; quod ſæpius ſe obſervaſſe teſtatur Nenterus (r). Si variolæ depreſſæ, in medio ſui foveam habentes obſerventur, malum denotant. Convulſiones tempore ſuppurationis accedentes, grave portendunt periculum. Si in variolarum decurſu quocunque ſit alvus adſtricta, ſemper melioris eſt notæ, quam laxa; hoc autem non obſtante, ſi magna orirentur incommoda, emollienda, & lubricanda eſſet, non autem per laxantia; bene tamen attendendum eſt, ne tempore maturationis diarrhœis præbeatur occaſio; ſi tamen diarrhœa, cum materia quaſi purulenta, & ſquamulis ſtipata contingat, & quidem moderata, non eſt metuenda. Ptyalismus potiſſimum adultos infeſtans, ſi tempore repletionis contingat, boni eſt ominis; ſiquidem copiam materiæ morbificæ eliminari denotat, quæ opus non habet, ut ſuppuretur. Si autem ſalivatio nimium urgeat, ipſoque maturationis tempore eveniat, mala ſemper obſervatur; materiam enim revocat, vires debilitat. Similiter de diabete ſentiendum, potiſſimum colliquationem jam factam præſupponit, quam dein tanta ſequuntur mala. Proinde ſedule notandus venit dies octavus in diſcretis, & undecimus in confluentibus, nam his duobus plerumque moriuntur (s).

§. LIV. Medela ſuppurationis tempore, vel maxime eo dirigenda erit, ut materia ad exteriora promoveatur, ne quædam purulentæ materiæ portio aut remaneat, aut retrocedat; quare omni conatu motus ad peripheriam per ſedulo exhibita calida juſcula, non minus & infuſa theiformia ante dicta conſervetur, neque ulla ad retroceſſum

(q) *Boerh. loc. cit.* §. 387. (r) *Fundament. med. pract. p.* 318. *n.* 15. *edit. in fol.* (s) *Sydenham loc. cit. p.* 591. *it. Frid. Hoffman. loc. cit. p.* 149.

præbeatur occaſio tam per aſſumpta, quam exteriora, ut frigus externum admiſſum &c. Ad hunc ſcopum etiam proderunt, quæ eruptionem promovebant. Hoc autem tempore alimentorum ratio habenda eſt, & gelatinæ ex raſur. C. C. ebor. ungul. alc. ut & cremores diluti ex avena, vel hordeo locum habere poſſunt.

§. LV. Febris, quæ undecimo die variolis confluentibus laborantes aggreditur, putrida (t) vocari conſuevit, tam ab ipſis variolis, quam ab ipſa febre, quæ vel earum eruptionem præcedit, vel primis nonnunquam diebus a puſtularum inflammatione oritur, diverſa eſt; nam pars materiæ fluidæ putreſcentis §. 52. ex puſtulis, maturitatem ſuam jam adeptis, reſorpta fuit in ſanguinem, ubi calorem, febrimque hanc de novo excitavit; non enim hoc in morbi ſtatu puſtulæ jam incruſtatæ, aut introrſum agi, aut intra cutim ſe recipere, aut minimam molis ſuæ partem amittere poſſunt (u). Hæc febris ſe prodit calore ſummo, inquietudine, aliisque ſymptomatibus una invadentibus. Quare ob horum vehementiam mortem in propinquo eſſe denuntiat Sydenham (v), a qua æger, niſi ars medendi exquiſita acceſſerit, plerumque opprimitur. Quod ſi autem æger hoc die non ſuccumbat morbo, metuendus adhuc eſt decimus quartus, & decimus ſeptimus dies; quin imo per ſpatium illud omne, quod inter hos duos intercedit: ſiquidem appropinquante vespera moleſtiſſimo inquietudinis quaſi paroxysmo quotidie vexatur, ac ſi mors quadam vi ingruere vellet. Hanc Sydenham (x) per copioſam venæſectionem & catharticum ex elect. lenitiv. unc. una ſemis, in aquæ ſtillatitiæ v. g. cichorei unc. quatuor ſolut. curare ſolebat.

§. LVI. Ultimo adhuc reſtat quartum variolarum ſtadium, in cujus initio hæc obſervantur: denſa cruſta in facie ſuccedere ſolet variolis, ſub qua pus adhuc fluctuat (y); interim in artubus rumpuntur puſtulæ, cæterarum partium puſtulis pertinaciores. Porro ſi pus ſimile ſub cruſtis diutius permaneat, tunc accedente adhuc interiore calore inter ſtagnandum putreſcit, & quotidie fit acrius, tenuius, alcacalinam induit indolem (z), quare aptum jam evadit ad diſſolvenda ſubtiliſſima vaſa; imo ſubjectas erodit partes ad oſſa usque (a), in quibus

(t) *Freind Oper. Med. in comment. VII. de febr. in epiſt. Mead ad Freind p. 45. it. Sydenham Oper. Med. ſched. monit. de ſebr. putr. variol. confl. ſuperv. p. 549.* (u) *Id. ib.* (v) *Id. ib. p.* 546. 355. (x) *Id. ib. p.* 550. (y) *Boerh. loc. cit.* §. 1400. (z) *Id. ib.* §. 82. (a) *Id. ib.* §. 406. 1401. *it. Legatur Joan. Chr. Heyne Tract. de oſſ. morb.* §. 9.

bus caries, multaque mala diverſa exoriri ſolent. Cruſtæ tandem decidunt, hinc cutis rubicunda apparet, cui mox, & quidem primo in facie ſuccedunt ſquamulæ furfuracæ, ſub quibus deinde cutis foveæ apparent, raro quidem in diſcretis, ſed fere ſemper in confluentibus, in quibus facies cicatricibus fœdis deturpatur; nam in his pellicula dicta §. 50. latioribus laminis deſquamatur, quandoque poſt vigeſimum diem (b); ubi in discretis decimo quarto, aut quinto id jam evenit. Nonnunquam hinc inde phymata naſcuntur, & ſpuriæ quædam variolæ (c), quæ ſecundariæ appellantur.

§. LVII. Si depoſitiones ad partes exteriores ut per melicerites, atheromata, & ſteatomata fiant, non tantum minantur periculum, quam ſi ad interiora ferantur; hinc ſi deliria, vigiliæ, ſubſultus tendinum &c. contingant, malum denotant; unde etiam peſſimum eſt, ſi materia varioloſa non fuerit omnis expulſa; ſæpe enim deinde furunculi poſt ſuperatum morbum ſuperveniunt, imo ſcabies, tuſſis ſicca, tabes, & plures alii morbi. Optimum proinde præbet ſignum, ſi evaneſcentibus, & exſiccantibus variolis redeat appetitus, & vigiliæ, inquietudines, dolores, febris, aliaque ſymptomata non tantum minuantur, ſed & plane ceſſent.

§. LVIII. In hujus ſtadii initio eædem habentur indicationes, ac in priori, nam hoc tempore ſummo ſtudio ad diaphoreſin diſponendus erit ægrotus, ut nimirum eo facilius materia morbifica ad peripheriam jamjam delata, per eandem penitus expellatur; ſecus enim eadem mala §. 57. tumores & abſceſſus (d) cum ſummo incommodo, vitæque periculo ſuperveniunt. Imo refert (e) morbum ante incognitum, quem παιδαρθροκάκην vocat; hic morbus, ut ejus nomen declarat, articulos fere omnes, præcipue epiphyſes oſſium puerorum occupat, & exedit, ortumque habet ab humore acri, & rodente, a variolis relicto.

§. LIX. Adeſt in hoc ſtadio ſummus cutis pruritus, attendatur ideo, ne vi detrahantur cruſtæ, detractæ enim cicatrices efformant, ſed videndum, ut ſi quæ ſint exſiccatæ, earum deſquamatio promoveatur, ne nova ſub iis colligatur materia; pro quo fine maxime laudantur oleum amygdal. d. cum oleo ovor. vel ipſum ungu. de liquir. cum oleo ovor. alteratum. Cruſtis jam jam decidentibus foveæ, & quandoque cicatrices apparent, quæ præcaveri poſſunt, ſi variolæ tempeſti-

(b) *Sydenham loc. cit. p.* 591. (c) *Mead in cit. epiſt. in Op. Med. Freind p.* 46. (d) *Miſcel. curioſ. Med. Phyſ. N. C. an.* 3. *obſerv.* 323. *p.* 464. (e) *Marcus Aur. Severinus de abſceſſibus p.* 288.

ſtive exſiccantur, & deſquamantur; merentur ideo laudem apud quosdam deterſiones, & ablutiones cum lacte humano, vel ejus loco vaccino recenti, aut etiam mucilagine hordei, atque dein ei in parva quantitate inſtillato ſucco limonum. Ad maculas, a variolis relictas, tollendas, tanquam certum, tutumque remedium deprædicatur (f) ſapo neapolitanus balſamicus, quo partes affectæ bis in die illiniuntur, & poſt quadrantis horæ ſpatium aqua ſimplici abluuntur. Meibom (g) refert, quod virgo, a variolis faciem præſervare volens, ante eruptionem pedes in balneum tepidum emolliens poſuerit, quo facto, nec unicam in facie variolam acceperit, verum pedes, iis affecti, paralyſim acquiſiverint. Baglivius laudat quoque ſequens ungu. ex olei amygdal. d. unc. dua. ſperm. cet. drach. trib. olei ſtillat. rhodii gut. quatuor, quod ſecundum ipſum (h) non tantum foveas delet, ſed & dolorem lenit, acrimoniam tollit.

§. LX. Cæterum vel maxime exactæ munditiei ratio eſt habenda, uti & oculorum, narium, aurium, oris &c. non minus caute mutanda ſunt linteamina (i), & ea accipienda, quæ jam in uſu antea erant, vel calore, fumo, aliisque exſiccata. Superatis tandem Variolis præprimis confluentibus reſtat adhuc, ne alii pejoris, & antea dicti morbi ſequantur, ut primæ viæ repurgentur. Hunc in finem alternis diebus catharſim aliquoties repetit Frid. Hoffmannus (k), quod etiam ſuadet Sydenham (l), Jo. Michael (m), Gohlius (n), aliique plures practici. Reconvaleſcentes tandem non nimis cito in publicum prodeant, ſed per tempus adhuc aërem vitent liberum præprimis humidum, & frigidum. Conſtantem perſpirationem attendant habere per theiformia, & pulveres ante dictos. Frigidum potum, difficilisque digeſtionis cibos non aſſumant, ſed in uſu decocta prius nominata & cibi primo ex pomis, prunis, ceraſis, aliisque ejusdem generis, atque dein ex agnellis, pullis, & vitulinis porrigantur.

§. LXI. Cum ſymptomata, in variolis diverſa occurrant, ad ea quoque cura dirigenda venit, & idcirco omiſſis aliis urgentia tantum recenſentur: primo ſi vomitus ægrum infeſtet in principio variolarum, ſæpe adhuc vomitorium ſed ex ſola rad. Ipecac. datur; verum conſiderandum eſt, an alia correſpondeant, an vis vitæ vigeat. Proinde vomitui medentur ſpec. de hyacinth. theriac. ſmaragd. theriac. cæleſt.

&

(f) *A. E. L. an.* 1703. *p.* 505. (g) *Differt. de Variol.* §. 34. (h) *Loc. cit. p.* 62. (i) *Frid. Hoffman. loc. cit. p.* 158. (k) *Loc. cit. p.* 152. 161. 162. (l) *Loc. cit. p.* 161. 594. (m) *Prax. med. clin. p.* 582. (n) *Loc. cit. p.* 309.

& M. P. de cynogloſ. aliis mixta. Externe ſolent applicare regioni ventriculi pannum ſcarlatin. c. ſpirit. theriacal. camphor. vel oleo menth. vel conſ. ſmaragd. imbutum.

§. LXII. Si diarrhœa ab initio urgeat, non adeo pertimeſcenda eſt (o), nunquam tamen per adſtringentia, verum potius per abſorbentia ante nominata uti & per demulcentia (p) tractetur.

§. LXIII. Convulſiones iisdem curantur, uti in prima cura earundem mentio erat. Si vigiliæ adſint emulſ. temper. diacod. liquid. mont. cum aquis flor. paralyſ. tiliæ, papav. rhæad. &c. Si autem ob metum laxationis vel retroceſſus materiæ morbificæ dulcia, & emulſiones non poſſent exhiberi, eorum loco ſemen papav. contuſum & in juſculo decoctum, atque expreſſum ſecure datur. Si ergo ſomnus obtineatur, ab his deſiſtitur. Si ſopor ægrum nimis invaderet, proſunt blanda, iterata infuſa calida, atque alia uti prius jam memorata ſunt.

§. LXIV. Hæmorrhagiæ narium ſi eveniant in principio, in ſubjectis plethoricis, vel excretioni tali aſſvetis, nullum inferunt periculum; ſi tamen excederent, eæ eſſent ſiſtendæ v. g. per quamdam mixturam ex aqu. burſ. paſtor. plantag. tormentil. ℥. corall. rubr. præpar. ter. ſigil. r. & a. unicor foſſ. panno. r. nitroſis, ſyrup. corall. tinct. flor. rhæad. vitriolata, & per decoct. rad. torment. Externe quoque laudantur pulvis ſperniolæ Croll. & ſtegnoticus auguſt. cum aqua plantag. burſ. paſt. torment. vel ſi hæc non ſufficiant ipſum vitriolum tam extra, quam intra applicatum naribus, & hoc cum prioribus aquis fluxile redditum, goſſypiis imbibitur. Vel maxime tandem attendatur, ne præmature ſiſtantur; nam his ſuppreſſis extravaſationes aliis in locis ſequuntur. Dolor & ardor faucium, a Variolis hic loci obſidentibus excitatus, mulceri poteſt per gargariſma quoddam ex decoct. hordei vel avenac. & rob. diamoron, aut ſyrup. violar. add. modico lap. prunel. Ardor vero, ſi puſtulæ illiniantur mucilagine ſem. cydoniorum cum aqua roſar. facta (q).

§. LXV. Solet quandoque urinæ ſuppreſſio affligere ægrum, quæ periculoſa non raro deprehenditur, eidem ſuccurrendum eſt nitroſ. pulver. lapid. percar. oc. cancr. præparat. antim. diaphot. lap. judaic. aqu. alkeken. chærefol. &c. & infuſis ipſis diluentibus, atque inviſcantibus, ut decocto de alth. Fern. Foreſti, chærefol. plane in juſcul. dato; cum

(o) *Frid. Hoffman. loc. cit. p.* 148. (p) *Id. loc. cit. p.* 159. 160. (q) *Id. loc. cit. p.* 154.

cum ſuppreſſiones hæ ab acrimonia irritante, hinc ſpaſmos in illis viis producente oriantur. Externe laudantur inunctiones regionis pubis, & inguinum cum oleo ſcorpio. M. M. aut lini; ſemen milii calide regioni pubis appoſitum, & alia, quæ in ſpasmis recommendantur. Si vero ab oppoſito urina nimium fluat, in uſu ſunt primo inviſcantia ut gelat. ex raſ. c. c. ebor. ungul. alc. cum decoct. rad. tormentil. vel ſymphyt. factæ; non minus ipſa mucilago hord. & alia hujus generis. Secundo tonica, ut pro potu ordinar. decoct. rad. tormentil. biſtort. &c. Tertio abſorbentia, ut unicorn. foſſil. corall. r. terr. ſigil. r. & a. & hæc potiſſimum ideo ordinari ſolent, cum ab acri alcalino colliquante diabetes originem accipiat.

§. LXVI. Oculos & palpebras quod concernit, tunc illis maxime in primo ſtadio variolarum ſuccurrendum erit, ne ibi variolæ erumpant; deinde etiam ne inflammatio nimium eos occupet: palpebris vero, ne conglutinentur, & coaleſcant. Quare primo variolæ in oculis præcaventur, ſi hi per convenientia collyria ſæpius humectentur (r), tali modo repulſio & diſcuſio materiæ varioloſæ obtinetur; in his caſibus optime conduceret aqua facta ex aqu. plantag. roſar. euphras. ana unc. una, ſem. ſumach contus. & in petia ligat. ſcrup. ſemis, croc. auſtr. gra. un. camph. gran. ſemis; hæc aqua, etiamſi nullæ apparerent, tamen in uſu, ſed ſine camphora eſſe poteſt. Dum vero jam adſunt variolæ, vel aliqua inflammatio ſupervenit, & remanſit, fieri poſſet collyrium ex aqu. roſar. ſolan. plantag. euphras. ana unc. una, ſief alb. ſ. opio ſcrup. quat. hoc enim abſorbet, & reſolvit. Si tandem quædam pellicula eſſet inducta, vel cicatrix fieret, laudatur id. collyr. cum ſaccharo ſaturni, tutia, camphor. alteratum; vulgo etiam ſimplex aqua roſar. c. croco & in ultimo eventu ſacchar. canarinum uſu veniunt. Secundo palpebræ a coaleſcentia præcaventur, lacte calido cum aliquali portione camphoræ & croci admixta applicato, vel lacte humano &c. (s). Rarum commiſerationis exemplum recenſet Bartholinus (t) de nutrice, lingua propria lingendo, oculos variolantis pueri recludente, qui valde alias de oculis periclitabatur.

§. LXVII. Haud in congruum fore duxi, ſi permodum appendicis de Transplantatione ſic dicta Variolarum quædam adnecterem ejusque operationis hiſtoriam decriberem. Quod ejus originem atque inventorem attinet, nulli conſtant; invaluiſſe tamen, teſtibus Jacobo Pylari-

(r) *Riverius loc. cit. p.* 465. (s) *Goblius loc. cit.* (t) *Cent.* 1. *obſ.* 29. *pag.* 46.

larino, Emanuele Timonio (u), primo in Theſſalia, deinde in proxima loca, atque ipſam Byzantinam urbem perveniſſe, refertur, ubi adhuc in ſummo habetur uſu Teſte Antonio le Duc (v); is methodum prout Byzantii exercetur, optime deſcripſit, quod eo exactius præſtare potuit; ſiquidem ille non ſolum conſtantinopolitanus, & omnia, quæcunque ſunt acta, propriis vidit oculis, verum etiam operationem ipſam in corpore proprio ſuſtinuit, felicemque ejus eventum teſtatur.

§. LXVIII. Operatio autem peragitur ſequenti modo: eligitur puer, vel puella, ſani alioquin temperamenti, variolis diſtinctis atque benignis laborans, apertura facta ex his materia exprimitur, quæ vitro vel alio vaſculo, aqua calida prius eloto excipitur; hoc probe obturatum ad exhalationem impediendam, in loco quodam tepido eſt reponendum, ut calidum conſervetur, & quantocyus contenta materia in uſum trahatur. Obſervatum fuit, hanc, hoc modo munitam, ad duodecim horas ſuam ſervaſſe efficaciam. Facto hoc, in duobus vel pluribus corporis locis, in quibus ſunt excitandæ variolæ, imprimis carnoſis, muſculisque mediante lancetta vel acu chirurgica triangulari cutis leviter ſed oblique vulneratur, eaque diviſa elevatur, donec quædam ſanguinis guttulæ effluant; quibus apparentibus, vulneri una vel altera guttula materiæ purulentæ antea reſervatæ inſtillatur, qui locus deinde capſula quadam concava, fasciisque munita, probe tegitur; peracta hac operatione æger in lecto tranquille ſe continere, diætam exactam obſervare, a carnibus, & earum juſculis abſtinere, variolarumque eruptionem exſpectare debet; quæ quidem in aliis citius, in aliis vero tardius eveniunt, pauciſſimæ obſervantur (x). Hac ergo methodo excitatæ variolæ adeo ſunt benignæ, ut ægri ſemper mitioribus ſymptomatibus afficiantur. Reliqua vero cura, ut par eſt, adhibetur. Inoculationis methodus in variis locis invenitur (y) communicata. In noſtris regionibus non ita in uſu eſt; unum alterumque tamen exemplum proſtat (z), quod hic Viennæ in juvene cujusdam nobilis cum emolumento dicta operatio adornata fuerit. Poſſet proinde, ſi plura ad-

(u) *In ſuis relat. recenſit. in Tranſact. Philoſoph. Ann.* 1714. *num.* 339. & 1716. *num.* 347. (v) *In diſſertatione ſua de Byzantina variolarum inſitione recenſita in A. E. L. an.* 1723. *menſ. maj. p.* 222. (x) *Theodor. Zvinger in epito. Prax. Med. p.* 239. (y) *In Ephem. Germ. cent. V. obſ.* 2. *it. A. E. L. an.* 1714. *menſ. Aug. it. A. E. L. an.* 1725. *menſ. Jul. p.* 330. *it. Zvinger loc. cit.* & *pag.* 240. (z) *In Act. Wratislavienſ. an.* 1717. *menſ. Aug. claſſ. V. p.* 187. *ex D. Loigh. hiſtor. recenſ.*

adhuc exempla confirmarent felicem ſemper eventum, etiam uſu venire.

§. LXIX. Fuerunt quidem medicamenta in omnibus ſtadiis, atque extra illa, hucusque aſſignata; verum pro variis circumſtantiis, quæ evenire ſolent, etiam mutanda erunt. Cæterum ex omnibus his memoratis ſequentia colliguntur corollaria:

I. *Variolarum cauſa immediata formalis eſt motus humorum adauctus; materialis, miaſma quoddam acre ſpecificum in aëre hærens §. 20. 21. 23.*

II. *Datur aëris tranſitus in ſanguinem, & cum hoc miſcela. §. 27.*

III. *Miaſma humoribus communicatum, eorum motum, & vaſorum reactionem adauget §. 31.*

IV. *Ideo ſanguis maternus non eſt cauſa variolarum §. 34.*

V. *Ægri in diſcretis octavo, in confluentibus variolis undecimo die plerumque moriuntur §. 53.*

VI. *Suppuratio fit cum fibrillarum ſubtiliſſimarum deſtructione, & earum cum liquidis effuſis admiſtione §. 51. 52. & febris ſuppuratoria oritur; febris vero, ſuperveniens undecima die in confluentibus, putrida vocatur §. 55.*

VII. *Superato variolarum præprimis confluentium decurſu, catharticum tuto exhiberi ſolet §. 60.*

§. LXX. Hæc itaque ſunt, quæ de variolis in anguſtis his chartæ paginis conſcribi potuerunt; magnam enim conſecutæ fuiſſent molem, ſi cuncta pro varietate circumſtantiarum deducta eſſent; verum ne longius me in ſcribendo detineam, oportet, ut diſſertationi huic imponatur

F I N I S.

ΠΥΡΕΤΟΣ ΗΜΙΤΡΙΤΑΙΟΣ
CELSI, & GALENI,
CORTICE PERUVIANO CURATUS,
QUEM
IN DISSERTATIONE INAUGURALI MEDICA
DECRETO, AUTHORITATE, & CONSENSU

Perilluſtrium, Magnificorum, Spectabilium, Prænobilium, Excellentiſſimorum, atque Clariſſimorum Virorum &c. Perilluſtris, Magnifici, Spectabilis, ac Excellentiſſimi Domini Univerſitatis RECTORIS; Perilluſtris, Spectabilis, Clariſſimi ac Excellentiſſimi Inclytæ Facultatis Medicæ Domini DECANI, Venerabilis Domini Senioris, Sac. Cæſ. Regiæque Majeſtatis DD. Conſiliariorum, Archiatrorum, nec non DD. Profeſſorum, adeoque totius Ampliſſimi DD. Medicorum Collegii,

IN ANTIQUISSIMA, AC CELEBERRIMA
UNIVERSITATE VINDOBONENSI,

Pro conſequendis Summis in arte Medica Honoribus, & Privilegiis publice DD. Doctoribus diſquirendum exponit

JOANNES MELCHIOR STÖRCK,
Sulgavienſis Suevus AA. LL. & Philoſophiæ Magiſter, Saluberrimæ Medicinæ Baccalaureus Formatus, & pro Supremæ Laurea Candidatus.

Diſputabitur in publico DD. Medicorum Collegio, Die Menſis Septembris horis poſt meridiem conſuetis Anno M. DCC. XLIX.

Typis Franciſci Andreæ Kirchberger, Univerſitatis Typographi.

PRÆFATIO.

HEmitritææ febris typum in univerſum & ferum eſſe, & periculi pleniſſimum notat Galenus (a); atque, dum in ea morbi eveniunt acuti, præ cæteris maxime lethalem jam diu antea notavit Hippocrates (b): nunquam vero procul eſſe a periculo, tota, fidis obſervatis ſapiens, nos docuit antiquitas. At quamquam, qui luculenta in praxi quotidie verſantur, hodierno adhuc die infidum ſatis eſſe hoc mali genus haud ignorent; longe tamen minus pernicioſum hoc contingit humano generi, poſtquam potior reliquis, quibus novus mundus divitiis abundat, peruviani corticis virtus terris noſtris innotuit;

(a) de typis cap. 4. (b) L. I. de morb. vulg.

quam, dum miris undique laudibus harum rerum periti efferunt, equidem laudandam multum, nunquam tamen eſſe laudandam ſatis aſſeverat cel. Geofroy (c).

Et ſane dum pauca ea mecum reputo, quæ hucusque obſervando in re medica mihi diſcere licuit, ex nullo alio fere medicamento tam manifeſtos, tamque miros effectus animadvertere potui; etenim ut nihil dicam de diverſis intermittentium febrium generibus, quæ omni anno, præcipue vero proxime ſuperiori & in noſocomio noſtro, & alibi, hoc cortice provide adhibito, propulſa vidi: in milite certe ſeptuagenario majore, poſt exemptas coſtarum partes, multaque vulnera invalido, validiſſimam gangrænam a cauſa externa in natibus obortam, aliis medicamentis rebellem, auctam verſus interiora continuo unica corticis uncia ſtitit manifeſto, diu repetitus ejus uſus omnino ſuſtulit; ita tamen, ut dum integro νυχθημέρῳ cortice abſtineret, illico ſymptomata increſcere viderentur. Omnium, quibus humanum corpus affligitur, calamitoſiſſimum morbum, cancrum nempe, inde nec audivi quidem, nec credo unquam fuiſſe ſanatum: ternis tamen vicibus cum voluptate adverti ſaniem ſubtilem, acrem, fœtidam, cadaveroſam cum pure utcunque bono commutari; labia tumida

(c) Traité de matiere medicinale tom. 2, ſect. 1. pag. 508.

mida retorrida flecti; dolorem rodentem mitigari, aut tolli penitus; colorem cineritium, lividum in rubrum converti. Hujus ut & prioris obſervationis teſtes ipſi ægri adhuc ſuperſunt. Similia ſequenter apud authores occurrunt. *Alex: Monroo* (d) miros corticis effectus in gangræna, ulceribus, & variolis ſedula obſervatione expertus, integrum articulum iis recenſendis dicat. Illum in hæmorrhagiis, & diverſi generis fluxibus prodeſſe; ſudoribus nimiis æque certo, ac febribus intermittentibus mederi ex propria & aliorum experientia monet John Quincy (e). Corticem ſpiritus & ſanguinem confortando in podagra (f), malo hypochondriaco, & hyſterico, præcipue ubi ſpasmi afficiunt, mirandis pollere viribus, verus obſervator ſydenhamus uſu didicit (g). Fors huc pertinet caſus, qui, dum hæc ſcribo, accidit: ſenex melancholicus primo pandiculatione vaga, mox violentiſſimis membrorum omnium tenſionibus, & ſpasmis, quarto quoque die cum levi frigore, nullo ſuccedente calore, aut febre recurrentibus, torquebatur diu; &, dum alia remedia fuſtra eſſent, peruvianus cortex ſufficiebat ſolus. Hunc tandem ventriculum roborare, deficientem corporis calorem excitare, perſpirationem

(d) Eſſais, & obſervations de Medicine de la ſocieté d'Edimbourg artic. X. tom. V. vid. tom. IV. art. X. (e) A deſcription of the officinal ſimples, With their virtues and preparations &c. (f) Sydenham tractat. de podag. p. 162. edit. venet. (g) diſſert. epiſtol. p. 146.

promovere &c. qui de ejus uſu ſcripſerunt obſervatores, unanimi fere ſuffragio teſtantur.

Magnum tamen hoc medicamentum niſi debito tempore, ordine, doſi ac regimine &c. adhibeatur, nimio opere nocere hiſtoria medica paſſim docet (h). Ut adeo iis, qui modum non callent, haud ſecus, ac ab heroicis omnibus pharmacis, & ab hoc quoque cortice abſtineant, author ſit Fridericus Hoffmannus (i).

Atque hæc ideo præfari viſum fuit, quod Inclytæ Facultatis juſſu in fine quædam theſes, corollariorum in modum ſubjungi debeant; quæ, cum potiſſimum corticis peruviani in hemitritæa uſum ſpectent: nec per propoſitam brevitatem, neque per anguſtiam temporis multum de ejus virtute diſſerere liceat, ex his ſimul deducere conabor.

(h) Sydenham epiſtol. I. reſponſor. p. 62. 64. Eſſais d'Edinbourg. tom. IV. art. XXIV. XXV. Frid. Hoffmann. diſſert. de recto cort. chinæ uſu &c. §. IX. (i) l. c. in fine.

§. I.

Hμίτριταῖος ex ἥμισυς dimidius & τριταῖος tertianus ab ætatis poſterioris authoribus *ſemitertiana* vertitur: dum veteres latini eodem, quo græci, nomine rem eandem deſignarunt, id, quod ex antiquis Q. Sereni verſibus apparet (a).

Mortiferum magis eſt, quod græcis hemitritæum
Vulgatur verbis, hoc noſtra dicere lingua
Non potuere ulli (puto) nec voluere parentes.

Rob. Keuchenius in ſuis ad Serenum commentariis (b) nomen ſemitertianæ ut ineptum expunctum omnino voluit.

§. II. Agathinus medicus græcus, Galeno teſte, vir non vulgaris, ſolidum librum de vocabuli ἡμιτριταίȣ ſignificatione conſcripſit, neque mirum; fatetur enim Galenus: quod, ſi velit ea, quæ de hoc nomine ſunt ab empiricis prodita, quæ poſtea ab Archigene &c. diſceptare, tria ſane volumina vix caperent (c). Verum, ut inquit Plato, non eſt habenda de nominibus cura, quibus tot, ac tantarum rerum inveſtigatio proponitur (d). Omiſſis itaque, nulli uſui futuris quæſtiunculis τῶν λογοθηρῶν, primo perquiram, in quot potiſſimum genera diſtinguatur febris, cui hemitritææ nomen datum fuit ab authoribus.

§. III. Primum genus hemitritææ plerisque eſt, *ſi tertianæ ſimplicis, fors & duplicis, paroxyſmi protrahuntur adeo, ut vel parum admodum, vel plane non intermittant.*

Nondum plane liquet, quamnam febrium ſpeciem Hippocrates ſemitertianæ nomine compellaverit: Galenus, ſiquis alius, idoneus ejus interpres, collatis inter ſe, quæ divus ſenex variis in locis de illa prodidit, neutiquam febrim §. hujus ab Hippocrate hemitritæam dictam eſſe contendit, ſubſequente inprimis textu firmus: infeſtabant illos plerosque hæc incommoda, febres horrificæ, continuæ, acutæ, omnino non intermittentes. Modus erat ſemitertianus, uno die levius, altero gravius invadebant: ac ſummatim in acutiem augebantur (e).

Agathinus, de quo §. 2. hemitritæon in eodem genere cum tertiana manifeſte locavit, atque ſola acceſſionis vehementia ab ea differre fatetur (f).

Celſus pariter tertianam in duo genera diſtinguit, cujus alterum longe pernicioſius, quod tertio quidem die revertitur, ex octo autem &c.

(a) Q. Seren. Samon. de med. præcepta. cap. LII. (b) pag. 274. (c) comment. II. in L. I. Hipp. de morb. vulg. §. XXV. (d) Galen. de differ. febr. L. II. cap. 6. (e) Hippoc. L. I. de morb. vulg. §. XXII. (f) Galen. de differ. febr. L. II. C. VIII.

& quadraginta horis fere ſex & triginta per acceſſionem occupat: interdum etiam vel minus, vel plus, neque ex toto in remiſſione deſiſtit, ſed tantum levius eſt. Id genus plerique medici hemitritæon appellant (g). Similia & alibi habet, ubi de curatione ſemitertianæ agit (h). Atque hac de cauſa uſus fere inter medicos obtinuit, ut hoc febrium genus hemitritææ Celſi nomine tractetur.

§. IV. Alterum genus fit, *dum quotidiana continua cum intermittente tertiana complicatur.*

Galenus §. ſuperioris febres ſollicite ſeparandas, atque τριταιοφυεῖς tertianarias eſſe nuncupandas voluit, nulli alteri febrium complicatarum generi hemitritææ nomen concedens; ait enim: hanc ego febrem compendioſæ, claræque doctrinæ gratia, uno volens appellare vocabulo, impoſui ei nomen ſemitertianæ (i).

Raro tamen admodum his ſaltem in terris accidit, ut diſtinctum quis hujus febris §. 4. typum obſervet; qua quidem de re non pauci, an unquam talis in natura rerum exſtiterit, dubitare fuerunt auſi. Inter alios certo Franc. Piens (k) eam dari, aut peculiarem febrium ſpeciem conſtituere διαρρήδην negavit; neque id temere forſan ab illo prolatum exiſtimabitur, dum antiquis jam temporibus usque eo invaluit hæc ſuſpicio, ut eidem removendæ quotidianam experientiam teſtem opposuerit Galenus: quod enim talis febris, qualem dixi, accidat, neque hic vel teſtimonium Hippocratis, neque alterius cujusquam oratio requiritur: cum quotidie nos ipſam videamus potiſſimum Romæ; ſicut enim in aliis locis alia, ſic in illa civitate hoc mali abundat. Videtur tamen ex textu §. 3. colligi poſſe, Hippocratem ſimilem quoque febrim hoc nomine intellexiſſe; at vero quam parum referat in hoc curioſius inquirere, paucis denuo Galenus habet: quod ſi aliam quandam febrem ab Hippocrate ſemitertianam vocatam eſſe putas, falli me in vocabulo ratus, rem ipſam addiſcas (l).

§. V. Tertium denique hemitritææ febris genus adeſſe dicitur, *cum febri acutæ continuæ tertiana jungitur.*

Collegi, quantum per anguſtiam temporis licuit, plurimas de hemitritæa obſervationes, & exceptis, quas Galenus narrat de adoleſcente (m), de muliercula (n) &c. pauciſſimos ſane caſus deprehendi, in quorum deſcriptione non manifeſta quædam ſigna inflammationis aut

(g) L. III. cap. III. (h) L. III. cap. IX. (i) de morbor. tempor. cap. X. (k) tract. ſpec. de febr. cap. XIII. (l) L. c. (m) L. II. de differ. febr. cap. VII. (n) L. II. de criſ. cap. IV.

aut præſentis, aut olim factæ reperire fuiſſet. Simile quid accidiſſe videtur Mangeto in ſepulchreto anatomico Boneti; poſtquam enim diu Sennerti verbis diſſeruit, ſemitertianam concludit eſſe tertianam intermittentem ſimplicem, vel duplicem cum inflammatione alicujus viſceris (o).

Pari ferme ratione Frid. Hoffmannus (p) duplicem cauſam compoſitæ hujus febris adſtruens, continuam ex inflammatoria quadam ſtaſi in meſenterio pendere contendit; quod quidem ſubinde verum eſſe ex diſſectis, poſt ſemitertianam defunctorum, cadaveribus demonſtrat Adrianus Spigelius (q). Interim tamen non ſemper inflammationem, multo minus inflammationem meſenterii ſemper ſubeſſe, & hujus, & aliorum obſervationibus conſtat (r). Nam & tabidi, & quicunque ex aliis longis morbis ægrotant, ex hac maxime ægrotant (s).

§. VI. De hac itaque febrium claſſe, cum diverſa longe a prioribus indole terreat, cumque integram fere inflammationis hiſtoriam, pro partium varietate variam, cognitam ſupponat &c. pluribus agere diſputationis brevitas non patitur; hinc & nullam amplius de ea mentionem faciam.

§. VII. Docet hiſtoria Medica, ſemitertianas febres pro diverſa epidemicæ conſtitutionis indole, pro diverſis morbis, qui in iis eveniunt acuti, non os ventriculi ſolummodo, nervoſas partes, ac ſummatim media attingere, vomitus, dolores ventris, alvi fluxus modo criticos, modo ſymptomaticos producere, ſed & veternoſas cataphoras, vigilias cum delirio, diaphoreſes cum ſyncope inferre, linguam ſimul valde exſiccare, animi defectiones parere, vehementer, quæ in profundo ſunt, commovere, jam malignas fieri, & contagioſas, atque ſæpe ipſius peſtis inſtar plurimos invadere ac trucidare. At non ſemper terrificis adeo phœnomenis febres has incedere Sennertus monuit (t), ubi Avicennam, qui eas in ſeptem usque menſes extendi obſervavit, contra Spigelium defendit.

§. VIII. Præterea febris §. 4. fit ex complicatione quotidianæ continuæ, & tertianæ intermittentis: ſimplices autem febrium formas, ſi quispiam exquiſite dignoſcere ſtuduerit ſingulas ſeorſum, ac ſolas, jam non amplius difficulter earum miſtiones inveniet (u). Certo non niſi ſimpliciſſimis cognitis intricatiora enodant Geometræ.

B Hinc,

(o) Tom. III. pag. 167. (p) Tom. II. part. I. Sect. I. cap. V. (q) L. I. de Semiter. Cap. 14. 15. 16. (r) Theoph. Bonet. ſepulch. anat. Lib. IV. Sect. I. (s) Hippocrat. L. I. de morb. popul. Sect. III. (t) L. II. de febr. cap. XXI. (u) Galen. Lib. II. de criſ. cap. IX.

Hinc, ut diſtinctior quædam hujus rei notio habeatur, ſimplicia ſimul, &, quod ajunt, eſſentialia ſimplicium febrium phœnomena breviter perpendenda videntur.

§. IX. In omni febre a cauſis internis orta horripilatio, pulſus velox, calor, vario febris tempore, vario gradu adſunt (x).

§. X. Febrile frigus in tres potiſſimum gradus diſtinxerunt veteres græci, horum acerbiſſimus τὸ ῥῖγος rigor, medius φρίκη horror, mitiſſimus vero περίψυξις ſeu perfrigeratio, frigus vertitur; Celſus tamen pro rigore pariter & horrore, rebus, quæ & vi & verbis differunt, horrorem rem unam unico vocabulo ſubſtituit (y).

§. XI. In hemitritæa Galeni magna acceſſionis pars horroribus abſumitur, altera dierum ſcilicet, in qua & tertiana, & quotidiana continua ſimul invadunt; atque ea de re teſte Galeno (z), Hippocrati in principio epidemiarum febris horrida πυρετὸς φρικώδης nuncupatur.

§. XII. Incipit itaque uti omnis alia febris a cauſa interna orta §. 9. cum majore vel minore frigore §. 10. cum rigore, per quem carnes ægri quaſi pungi videntur, ſi tertianæ paroxysmus ingruit: altero autem die denſatur cutis, frigus potius, quam horror infeſtat. Anteceduut plerumque oſcitatio, pandiculatio, laſſitudo, debilitas. Omnia hæc phœnomena, inæquabilem, & impeditum eſſe ſpirituum motum per nervos docent; quæ ſequuntur, idem confirmant.

Etenim cor minus contrahitur, minus evacuatur (ut ex pulſu citato quidem, debili tamen & parvo novimus) adeoque minori copia ſanguis pro ſecernendis ſpiritibus ad encephalon defertur; quo autem minor ſanguinis arterioſi copia, reliquis paribus, ad organum ſecretorium dato tempore applicatur, eo minor ſolet eſſet ſecretio. Theorematis hujus veritas ipſa hac debili cordis contractione comprobatur; cum vigor ejus a valido ſpirituum cerebelli influxu pendeat potiſſimum. Liquida ergo ad extrema tanta vi non propelluntur amplius, ut ſolitus in vaſa, & ſe mutuo attritus fiat, ſtagnare incipiunt. Tremuli muſculorum concuſſus, frigus atmosphæræ, arctando venas, ſanguinem verſus cor dextrum urgent; momentum, per reſiſtentes pulmones movendorum contra cordis, minus valide contracti, vires augent, atque ſic reſpirationem difficilem, anxietatem &c. efficiunt. Tum etiam haud raro adſunt nauſea, vomitus, urina cruda & tenuis, ſitis &c.

§. XIII.

(x) Boerhaave aphor. §. 563. (y) Guilielmi Pantini annotationes in Celſum L. III. cap. III. (z) L. II. de differ. febr. cap. VIII.

§. XIII. Ex his jam ſponte ſequitur, primum hoc febris ſtadium, ob vitales functiones inſigniter læſas, eſſe periculoſiſſimum, atque poſt anhelitus, ſuſpiria, & ignaviam ægros præcipue ſenes ſæpe extinguere. Cum uno abhinc anno ex epidemica conſtitutione ubique, & in noſocomio noſtro plurimi intermittentibus diverſiſſimis corriperentur: octogenarium ſenem ſecundo mox tertianæ paroxyſmo opprimi vidi; dum conſuetum alias, & in ſimili caſu ſalutarem adeo corticis peruviani uſum primi paroxyſmi lenitas differebat. Aperto cadavere cor dextrum ſolito majus fibroſo, tenaci admodum, mediocris magnitudinis polypo, atque congrumato atro ſanguine erat repletiſſimum; polypus æque ac craſſus ſanguis, quousque culter eos proſequi poterat, per pulmones extendebantur &c. pari fere ratione, ac Harveus ex diſſectione illorum, qui in principio acceſſionis febrilis mortui ſunt, memoriæ tradidit (a). Quæ omnia ſuperius dicta pulchre confirmant.

§. XIV. Tandem ſanguis circa cor dextrum, & pulmones ſic collectus majori ſenſim cum facilitate per univerſum corpus propellitur; minor hinc anxietas, pulſus, & reſpiratio major, validior fluidarum partium in ſe mutuo, in vaſa, & horum in fluida actio, atque inde calor, rubor ſuboritur; quæ ubi per gradus augentur, remanens ex priori ſtadio ſitis creſcit ſæpe immaniter, caput dolet, urina rubet &c. Hæc omnia etſi pro diverſa epidemica conſtitutione, ætate, temperamento, anni tempore mirum quantum differre conſueverint, maxima tamen ex parte, quo acrior vis eſt frigoris in principio, hoc vehementior calor ſubſequitur; ratio ex dictis eruitur facile, ac rem ipſam ſic ſe habere apud Galenum legitur: cum tertiana prævaluerit, horridior fit febris, atque in annotatione ſibi aliquid rigoris aſſociat. Confeſtim vero & fervidior eſt hujuscemodi febris, magisque feſtinat ad ſummum. Et aliquid bilis per vomitum, aut per alvum, aut per ſudorem excernitur (b).

§. XV. Intermittentium febrium decurſum in tria diverſa ſtadia diviſit Sydenhamus, eorumque primum tempus *exhorreſcentiæ*, alterum *fermentationis* vel *ebullitionis*, vel denique ut inanis λογομαχίας occaſionem præſcindat, tempus *commotionis* (c), ultimum *deſpumationis* tempus vocavit (d).

De duobus primis temporibus §. 12. 14. dixi: tertio ſuccedente materiæ febrilis jam ſubactæ, & quaſi devictæ expulſionem, ſive ſeparationem contingere voluit; dum interim ſymptomata primo omnia

(a) Exercit. anat. de motu cordis &c. cap. XVI. (b) L. II. de differ. febr. cap. VIII. (c) Obſervat. Med. Sect. I. cap. IV. (d) L. C. cap. V.

leviora fierent, atque tandem evaneſcerent plane. Enimvero quamvis ex præcedente §. pateat, quod exantlatum validum paroxiſmum ſæpe ſudor ſubſequatur, & ſic aliqua morboſæ materiæ portio e corpore eliminetur, raro tamen in ulla febrium, de quibus hic ſermo eſt, æger ad perfectam ἀπυρεξίαν venit. Remittunt itaque hoc febris ſtadio ſymptomata plurima, remanente velociore cordis contractione; ſudor plerumque ſuboritur, ſed qui morbum ad integritatem non perducit; urina craſſa, & poſt vehementiores tertii diei paroxismos cum ſedimento, quod lateritium appellant Medici, excernitur.

§. XVI. De cauſis harum febrium multiplices varietate ſententiæ apud Authores inveniuntur: neque mirum id videri debet; rei enim difficultas fecit, ut proverbii loco is Philoſophus dicatur, qui, quid ſit febris, expoſuerit. Prætermiſſis igitur cum veterum, tum multorum recentiorum opinionibus, paucis enarrabo, quid ex obvenientibus in in his febribus phœnomenis, vera fide obſervatis, in re tam dubia colligi poſſe videatur. Laſſitudo, tremor, debilior cordis contractio &c. indicio ſunt, in paroxsymorum initiis jugem ſpirituum cerebelli, & cerebri per nervos fluxum mutari, ac certa quadam ratione impediri §. 12. Idem cum liquido arterioſo fieri ex frigore, pallore &c. novimus.

Cauſa igitur proxima febrium §. 12. erit liquidi nervoſi inertia & comes, brevi ſaltem ſubſequens liquidi arterioſi viſcoſitas ſive lentor; hæc nomina autem, ne turbent, ſciendum, quod non majorem modo particularum fluidarum mutuam attractionem, ſed qualecunque demum liberi fluxus impedimentum deſignent, ſive virium moventium, ſive fluidorum, ſive denique ſolidorum labe hoc eveniat. Obſervaſſe dicitur Boerhaave (e), quod, attenuatis licet omnibus humoribus, pertinax quartana in tertianam mutata, bis cortice profligata redierit ſemper: replebat autem corpus ægri per aliquot ſeptimanas ſolventiſſimo guajaci decocto ita, ut intra viginti quatuor horas octo libræ vix ſufficerent; dein ciebat ſudorem ſub craticula.

Cæterum fluidi nervei actionem hic potiſſimum interturbari, ſuadent ſubita acceſſio, corticis peruviani uſus, ἀναλογία, quam paroxysmus febrilis[.] habet cum terrore &c. Ex terrore autem & febres naſci, & natas prius pelli frequentiſſimis obſervationibus conſtat; ſimiles multas collegit Ambroſ. Paræus (f).

§. XVII.

(e) Vide Commentaria in aphoriſmos, a diſcipulis collecta, & edita §. 756.
(f) Introduction a la chirurgie. ch. 22, 23. &c.

XVII. Cauſa corpori inhærens, προηγουμένη dicta, in his febribus videtur eſſe quædam mutatio, ſeu certus quidam character, in qualibet febrium ſpecie diſtinctus, ſubtiliſſimo fluido, vaſis minimis, vel communi horum origini ἐγκεφάλῳ impreſſus; qui latens, & ſæpe diu jam ſopitus, perverſo rerum non naturalium uſu, a collectis ſordibus, &c. excitari denuo poteſt. An autem ſimilibus, ut occaſionalibus cauſis, indigeat ſemper, nondum plane liquet. Videtur tamen magis eſſe probabile, quod dictus character, ab epidemico quodam miaſmate &c. excitatus, propria ſua vi paroxysmos inſtaurare valeat.

§. XVIII. Cauſa προκαταρκτικὴ in his quoque febribus ſolis nocet prædiſpoſitis. Sic vidi, dum diverſæ ætatis homines recens advenientes haleces comediſſent, uno alterove bolo deglutito, hominem cæteroquin ſanum valido tertianæ paroxysmo prehendi illico, aliis impune copiam longe majorem ferentibus. Quamquam ergo corrupti humores, indigeſtiles cibi, frigus &c. febrim excitare valeant, diſtinctam tamen ab his in corpore diſpoſitionem fieri, eſt neceſſe; exemplo res plana evadet, & evidens: pono duos ægros, unum a tertiana, alterum a quartana corticis uſu reſtitutos; aſſumpto v. g. purgante patiantur, quod ajunt, recidivam, prior ſua tertiana, alter fere quartana laborabit denuo, manifeſto argumento, diverſitatem harum febrium non a cauſa procatarctica, ſed a charactere §. 17. diverſo pendere. Videtur equidem ſimilis diſpoſitio diebus etiam intercalaribus adeſſe, quæ ab occaſionali cauſa commoveri poteſt, ut inde paroxysmi duplicentur &c. ſed & hic quoque ſecundus paroxysmus genium primarii ſequitur, adeoque febrium ſpecies non mutantur. Cæterum ut ex Hippocrate (g), Spigelio (h) &c. conſtat, conſtitutio tempeſtatis humida in hemitritæa ſæpius vice occaſionalis cauſæ fungitur.

§. XIX. Quæ hucusque dixi pleraque ad ſimplicium febrium cauſas pertinent; ſed cum eadem ferme ratio ſit compoſitarum, quæ eſt ſimplicium §. 8. niſi quod illæ unitis viribus validius affligant; hæc de cauſis ſufficiant.

§. XX. Nequaquam enim repugnat, ſimiles characteres §. 17. diverſos in eodem ſimul corpore latere diu, atque certo dein tempore, vel cauſa quadam occaſionali ſingillatim in actum deduci, nullatenus mutata indole priori: ſic a podagræ paroxysmis, pertinaci cordis palpitatione, ſpasmis, epilepſia &c. liberavit quartana; quæ mala propemodum omnia, febre ceſſante, rediiſſe, fida obſervata docent. Vidi

 mili-

(g) L. I. epidem. Sect. II. (h) L. II. de febr. Semiter. cap. I.

militem hypochondriacum per integros ſex menſes difficillimo aſthmate vexari, quod, omni quarto die ingruenti, intermittentis febris paroxysmo cedebat locum, finita febre recuperandum illico.

Morbi hic recenſiti ſimiles characteres pro cauſa diſponente fere habent, ut ex illorum phœnomenis apparere, &, dum medici in hos, licet ſæpe incognitos, agunt, pulcherrimo effectu confirmari videtur.

§. XXI. Prognoſis, quamquam pro febris, ſymptomatum, functionum læſarum, excretorum, conſtitutionis epidemicæ, tempeſtatis anni, ætatis, ſexus & temperiei varietate oppido differat; generatim apud Hippocratem legitur: febres, quæcunque non intermittentes tertia die vehementiores fiunt, magis periculoſæ (i). Similia ex Hippocrate, Galeno, & Celſo aliis occaſionibus adduxi. Omni tamen tempore hemitritæa Celſi alterâ minus infeſta habita fuit.

§. XXII. De curatione hemitritæarum febrium parum admodum reliquerunt veteres authores; in promptu cauſa eſt: quippe crediderunt, quod earum, utpote vel compoſitarum, vel prolongatarum medendi methodus non poſſet latere illum, qui ſimplicium, ex quibus iſtæ componuntur, febrium curationem perſpectam haberet. Verumtamen cum poſt Galenum plurimi in ea opinione eſſent, quod tertiana a bile, quotidiana vero a pituita ſuam ducat originem, omnium quidem medicamentorum ſcopus erat, has corrigere, evacuare &c. dubium tamen remanſit ſemper, an medicamenta, quæ vel tantum bili, vel tantum pituitæ, pro ea, quæ pariter animis illorum inſidebat, opinione mederentur, an hæc, inquam, ſimul porrigenda, an, quod præplacebat, diverſis temporibus diverſa curatio inſtituenda foret, atque hoc modo uno die uni, altero alteri humori occuratur.

Poſtquam vero recentioribus his temporibus alia longe de humoribus, alia de medicamentis docuerunt fida rerum experimenta, plurimæ de his diſceptationes conquieverunt ſponte. Miſſis itaque his, breviter perſtringam, quæ ad curationem harum febrium pertinere videntur.

§. XXIII. Febris eſt illud naturæ inſtrumentum, quo partes impuræ a puris ſecernuntur (k); Medicus vero naturæ eſt miniſter, atque ejus fere tantum æmulator, ut quæ iſta recte vi ſua, hæc ille arte moliri ſoleat; tandem cauſa proxima §. 16. harum febrium eſt lentor, & quædam viſcoſitas arterioſi & nervoſi liquidi: naturæ itaque hanc ſolvere, evacuare &c. conanti opitulantur præprimis medici,

dum

(i) Aphor. 43. ſect. IV. (k) Sydenham ſect. 1. cap. IV.

dum in ſtadio §. 12. frequentius tamen §. 15. utuntur diluentibus, aperientibus, ſalinis, nitro, ſtibio diaphoretico non abluto, tartaro regenerato, ſale ammoniaco, prunellæ, polychreſto, nitro ſtibiato &c. quæ duo ultima præ aliis in hemitritæa poſt Baglivium commendat Frid. Hoffmannus (l). In ſenibus, & ſicubi adhuc vis febris juſto minor eſt, moderate aromaticis ex abſynthio, centaurio minore &c. In pituitoſis utuntur ſalibus, ex quocunque combuſto vegetante reſiduis; quæ, conſervationis cauſa fumo ſulphuris, ut hic fieri ſolet, mutata, in hoc forſan caſu tutiora fiunt: ſic e. g. ſale febrili diſpenſatorii &c. vel iisdem Tacheniano more paratis; a quibus tamen, ut & aromaticis, ſi vel major febris impetus, vel levis inflammationis metus ſubeat, religioſe puto eſſe abſtinendum.

Ubi putredo metuitur præſtant rob ſambuci, berberum, ribeſiorum cum nitro, ſale polychreſto &c.

Dum hepatis obſtructi ſigna adſunt, decocta radicis graminis, cichorei &c. cum pauco ſale poychreſto & melle vim febris in ſolvendo juvabunt egregie.

§. XXIV. Si materia in primis viis turget, pro ſymptomatum diverſitate vel vomitorium, vel purgans exhibendum eſt eo tempore, quo operationem integram ante novum paroxysmum abſolvere, quoque turbæ, his remediis in corpore concitari ſolitæ, ex Sydenhami conſilio, leni opiato ſedari valeant.

§. XXV. Quod ſi tamen durante paroxysmo vomitus ſponte oriatur, is aqua tepida, mulſa &c. promoveri commode poterit. Hippocrates, qui naturæ niſus acute adeo indagare noverat, hujus in ſemitertiana methodi utilitatem non ex hypotheſi, ſed vero effectuum exemplo comprobat: uxori Theotimi in ſemitertiana anxietas, & ſimul horror incipiente febre, & ſitis: progrediente tempore incipiente febre calor ingens. Ubi aquam mulſam bibiſſet, & vomuiſſet, & horror & anxietas ſanata ſunt. Et mali punici ſuccum poſtea accepit (m).

§. XXVI. Vomitorium parari poterit ex ypecacuanha, purgans v. g. ex caſſia, tamarindis, & (quæ tam pulchre in ſemitertianæ initiis profuiſſe, quotidiana experientia didicit Adrianus Spigelius (n), ex rheo, agarico, ſenna &c.

§. XXVII. In ſtadio §. 14. conveniunt diluentia, demulcentia, blande aperientia e. g. decoctum hordei, avenæ, ſcorzoneræ, graminis,

(l) Tom. II. part. I. ſect. I. cap. V (m) L. V. I. de morb. popul. §. 47. (n) L. III. cap. VII.

nis, cichorei, taraxaci &c. nitroſa, ſubacida: ſucus citri, rob ſambuci, ribeſiorum &c.

§. XXVIII. In fine §. 15. ſi ſudor prodit, eidem quaſi critico ptiſana, juſculis carnium cum ſucco citri &c. materies ſubminiſtratur.

§. XXIX. Cum diverſa ſæpe ſymptomata §. 7. in hemitritæis urgeant, his occurrendum eſt propriis quidem remediis, habita tamen ſemper ad primarii morbi indolem ratione: ſic e. g. deprehendatur is caloris gradus, qui in febre perfecte continua veneſectionem &c. indicaret; niſi ſanguinis rarefactio, plethora, ingens capitis dolor &c. majoris periculi commoneant, cauto opus eſſe videtur, ne noceat.

§. XXX. Cibo æger utatur, qui neque incitet febrem, & tamen longum ejus ſpatium ſuſtineat (o). Humidum in febribus prodeſſe victum Hippocrates (p) monuit; in acutis enim febribus, quas & in ſemitertiana ſæpe evenire idem teſtatur, plerumque dabat hordeaceam ptiſanam, ejus ſuccum vel, cremorem (q). Alii ex avena, ex mica panis & aqua &c. ſimilia levis nutrimenti genera pro diverſa duratione, vehementia morbi, regione, anni tempore, ægri ætate, temperie & conſuetudine varia jam majori, jam minori nutriendi vi pollentia, parca copia exhibent; eo tamen (quod Celſus (r) voluit) tempore, quo principia cibi a decedente potius febre, quam reliquiæ ab incipiente excipiantur. Reliquarum rerum non naturalium uſus ſit moderatus, in ſtatu §. 14. quies, calor temperatus &c.

§. XXXI. Si vero febris vel ſponte ſua, vel medicamentis ſimilibus ceſſiſſet; alimentis eupeptis paulo liberius eſſet indulgendum; remediis interim roborantibus, & potu ſimili firmandum corpus, atque dein aliquoties, ſi res exigeret, per alvum purgandum.

§. XXXII. febris §. 3. 4. cum plerumque ſit autumnalis, vehemens; ſi neque ſponte, neque dictis his remediis, rite licet uſurpatis, conquieſcat; ſed contra provectior ægri ætas, profuſi ſudores, ſubita debilitas, aliave perniciosa ſymptomata, non niſi cum febre auferenda, periculum minitentur: cortice peruviano inducias impetrare, vel febrem prorſus pellere tutum haud minus, ac neceſſarium eſt.

§. XXXIII. Innoxium enim ex ſua indole hoc eſſe remedium, facile perſuadebar, poſtquam unicam ægram quinque circiter libras repetitis doſibus bono cum effectu aſſumere vidiſſem. Nec requiritur, ut ſenſibilis quædam evacuatio felicem ejus uſum ſequatur ſemper; neque facta talis evacuatio recidivam ſemper, ut voluerunt, præcavet.

Sic

(o) Celſ. L. III. cap. IX. (p) Aphor. 16. ſect. I. (q) de vict. rat. in acut.
(r) L. III. cap. IV.

Sic vidi ante paucas ſeptimanas juvenem ab aſſumpto corticis pulvere valide purgatum, & ſimul a pertinaci ſatis febre liberatum; quæ poſt leviores in rebus non naturalibus errores bis denuo recruduit, ſed & bis dato vomitorio continuo quievit.

§. XXXIV. Bona fide equidem fateor, me, quem Galenus deſcripſit, §. 4. hemitritæon diſtincte nunquam potuiſſe obſervare. Eundem tamen inter alias pertinaces febres cortici peruviano ceſſiſſe apud Uratislavienſes (s) lego: ſimilis forſan caſus eſt, qui in conſtitutione Labacenſi (t) de quodam nobili narratur &c.

Hemitritæam Celſi vero anno potiſſimum ſuperiore frequenter quidem, at raro, niſi catholico hoc febrifugo, curatam vidi.

§. XXXV. Fridericus Hoffmannus (u) ex propriis, & præprimis ex Baglivii obſervatis ſuadet, ut in hemitritæis cortex usquequaque omittatur; ſed, ut §. 5. notavi, curavit febres, quæ ſemper inflammationem meſenterii pro cauſa habuerunt: in febribus autem inflammatoriis prorſus hunc obeſſe (cui alias vel in maxime continuis, ad intermittentium claſſem pertinentibus, corticem ſumendum proponere religio non fuit (x)) Sydenhamus monuit (y). Idem experti ſunt Uratislavienſes &c (z).

§. XXXVI. Cum autem majori, quam in intermittentibus febribus, copia corticis in hemitritæa opus; tempus vero remiſſionis, quo iis tuto datur, longe brevius ſit: hæc ſenſim minuenda, & repetitis dein doſibus tollenda penitus videtur.

§. XXXVII. Abacta ſic febre, æger abſtineat cibo difficilioris digeſtionis, & nimio, fructibus horæis, aura frigidiore, purgatione per alvum &c.

§. XXXVIII. Cæterum cognita per fidas obſervationes natura prædominantis epidemici, cognita temperies naturalis, vel morboſa ægri, magnitudo ſymptomatum &c. Singularis morbi curationem dirigere debent; e. g. ſi obſtructionum in viſceribus ſigna adſint, hæ ſolvendæ ſunt antea, quam cortex peruvianus ingeratur. Si provectior ætas acceſſionem pernicioſam fore præmoneat (ni intermedio inter paroxysmos tempore induciæ ſaltem impetrentur) Medicus omnia agendo nihil tandem aget, æger vehementia mali opprimetur, & quod dici ſolet, μετὰ πόλεμον συμμαχία.

C CO-

(s) Conſtitutio epidemica 1699. (t) anno 1712. (u) L. c. (x) epiſtol. reſponſ. p. 63. (y) l. c. pag. 66. (z) l. c.

COROLLARIA.

I.

IN exhibendo cortice æque, ac in omni morborum curatione non oportet alicui hypotheſi indulgere, ſed rejectis ſpeculationum commentis, experientiam cum recta ratione conjunctam, tanquam indicem, atque magiſtram ſequi. Sydenham. epiſt. I. reſponſ.

2.

Ex paucis itaque corticis effectis in præfatione, & §. 33. 34. 35. &c. recenſitis patet, dici non poſſe, quod vi duntaxat adſtringente agat.

3.

Neque, quod particulis acidis, in deſtillatione prodeuntibus, putridas alcalinas materiæ febrilis particulas domet. Uti Geofroy l. c.

4.

Sed videtur harum febrium cauſa diſponens eſſe diſtinctus, & determinatus quidam character, ſpiritibus nervoſis, nervis, vel communi horum origini impreſſus; in hemitritæa Celſi ſimplex, ab occaſionali quadam cauſa, vel propria vi incogniti illius epidemici §. 17. ſæpius vel fortius irritatus; in hemitritæa Galeni duplex diſtinctus §. 19. 20.

5.

Atque in hos characteres vere ſpecifice agere videtur cortex peruvianus, eos paulatim minuendo, atque repetito dein uſu delendo penitus. Etſi intelligentia humana modum aſſequatur neutiquam.

6.

Hinc non repugnat, cortice ſanari febres absque omni evacuatione ſenſibili.

7. *Ex*

7.

Ex veterum obſervationibus diſcimus, pertinacibus illis febribus, quibus jam cortex peruvianus opponi ſolet, eadem mala olim quoque ſuperveniſſe e. g. hydropem, ſcorbutum, icterum, tumores ſcirrhoſos abdominis &c.

8.

Inde conſtat, per corticem peruvianum tolli quidem febrem, non tamen ſemper effecta, quæ poſt febres, alia etiam methodo ſanatas remanerent.

9.

Ergo prudens corticis uſus non innoxius modo eſt, ſed & ſaluberrimus: imprudens vero peſſimus.

F I N I S.

(8)

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA DE GUTTA ROSACEA,

QUAM SUB DIVINIS AUSPICIIS

DECRETO, AUTHORITATE, & CONSENSU

Perilluſtrium, Magnificorum, Spectabilium, Prænobilium, Excellentiſſimorum, atque Clariſſimorum Virorum &c. Perilluſtris, Magnifici, Spectabilis, ac Excellentiſſimi Domini Univerſitatis RECTORIS; Perilluſtris, Spectabilis, Clariſſimi ac Excellentiſſimi Inclytæ Facultatis Medicæ Domini DECANI; Venerabilis Domini Senioris; Sac. Cæſ. Regiæque Majeſtatis DD. Conſiliariorum, Archiatrorum; nec non DD. Profeſſorum, adeoque totius Ampliſſimi DD. Medicorum Collegii,

IN ANTIQUISSIMA, AC CELEBERRIMA

UNIVERSITATE VIENNENSI,

Pro conſequenda ſuprema Laurea publice propugnandam ſuſcepit

FRANCISCUS XAVERIUS DE-MARE,

Auſtriacus Viennenſis, AA. LL. & Philoſophiæ Magiſter, Saluberrimæ Medicinæ Baccalaureus Formatus, & pro Suprema Laurea Candidatus.

Diſputabitur in publico DD. Medicorum Collegio, Die 20. Menſis Septembris horis poſt meridiem conſuetis Anno M. DCC. XLIX.

Typis Franciſci Andreæ Kirchberger, Univerſitatis Typographi.

DEO
UNI & TRINO,
BEATISSIMÆ
MARIÆ
VIRGINI,
OMNIBUSQUE SANCTIS
TUTELARIBUS
MEIS.

PROŒMIUM.

EA eſt corporis noſtri fabrica, ea viſcerum & humorum conſtitutio, ut non modo a diverſis, numeroſisque cauſis interne affici ac lædi poſſint, ſed & externa corporis ſuperficies adeo ſæpe cum horrore defœdatur, ut hominem in ipſo homine deſideres. Quis enim in medicina adeo hoſpes, ut ignoret, venuſtiſſimam hominis faciem quandoque a variolis deturpari. Ut fere talem ex graviſſimo hoc morbo emerſum eſſe pœniteat. Leproſos intueamur, quam fœdum, quam horridum exhibeant ſpectaculum, & licet miſeria eorum tanquam proximi ex æquo tangamur, tamen conſortium ac familiaritatem omnem fugimus. Hos inter morbos non ultimus Gutta Roſacea, licet enim odioſos adeo hic morbus affectos non reddat, pulchritudini tamen faciei, quæ tanti tamen a multis, neſcio, an jure æſtimatur, quam plurimum de-

trahit. Hunc ergo morbum juſſu INCLYTÆ FACULTATIS MEDICÆ pertractandum ſuſcepi, ſi fors pro eo, ac debui, argumentum hoc non elaboratum, eruditus ac benevolus Lector doctrina ac benignitate ſua gratioſe compenſabit.

CAPUT UNICUM

De Gutta Roſacea.

§. I.

DE Gutta Roſacea, quam Inclytæ Facultatis Medicæ juſſu pertractandam ſuſcepi, ut ordini ſimul, ac ut res exigit, brevitati conſulam, omne rei argumentum uno complectar capite, ac in eo primo deſcriptionem hujus morbi, tum differentiam, cauſas, locum, ac tandem curam ejus non author, ſed authorum lector proponam. Ordinis ratio.

§. II. Efflorescentiæ ἐξανθήματα dictæ ἀπὸ τȣ͂ ἐξαντεῖν dictæ derivantur, quod indicat efflorеſcere, erumpere, & ſolet intelligi de humoribus, qui in cute emergunt, puſtulas aut aſpredines quasdam efficiunt. Fœſii œcon. Hipp. pag. 1031. Celſus puſtulas appellavit, variique eſſe generis dixit: *Nam modo circa totum corpus partemve aſpredo quædam fit, ſimilis his puſtulis, quæ ex urtica, vel ſudore naſcuntur:* ἐξανθήματα *græci vocant, eæque modo rubent, modo colorem cutis non excedunt.* Dicuntur autem nomine efflorеſcentiæ, ſeu ultra cutim emineant papulæ vel puſtulæ forte melius vocandæ, ſeu non, atque ſolum exaſperent, & tum maculæ ad differentiam vocari poſſent, ita comment. *Clar. van Switen* pertinent ergo huc non tantum variolæ morbilli, purpura, petechiæ, eryſipelas, ſcabies, ſed & gutta roſacea, quæ partem corporis nunc aſpredine nunc puſtulis ut §. ſequenti dicam, plurimum defœdat. Efflorеſcentiæ in genere.

§. III. Gutta roſacea, quam alii morphæam rubeam vocant, eſt maculoſa plus minus ad livorem accedens rubedo ſæpe tuberculis & gemmulis purulentis interſtincta, quibus malæ, naſus, & quandoque integra fere facies, ac ſi guttulis roſeis conſperſa, deturpatur. Augentur interdum dicta tubercula ea magnitudine, ut non ſolum faciem aſperam inæqualem & horridam reddant, ſed & naſo notabilem tumorem ac turpe incrementum adferant. Ita *Senertus* & alii: de alia læſione actionum naturalium, animalium aut vitalium altum apud authores ſilentium. Guttæ roſaceæ deſcriptio & diagnoſis.

Diviſio. §. IV. Tres gradus a quibusdam ut Nicolao Florentino hujus mali conſtituuntur. *Aliquando enim* inquit: *rubedo præter naturam abſque puſtulis, veſicis, vel ulceribus adeſt, & vocatur abſolute rubra facies, & quandoque eſt cum puſtulis & veſicis, & vocatur rubedo puſtuloſa, vel veſicoſa, & quandoque eſt cum ulcere, & vocatur rubedo ulceroſa.* Forte & addi poſſet rubedo cruſtoſa, ſunt enim, quibus naſus & malæ rubræ cruſta albicante nunc decidente, nunc recreſcente obducuntur. Qui tamen affectus lue celtica affectis fors magis familiaris.

Differentia ab eryſipelate. §. V. Eryſipelas quidem non raro etiam caput & faciem occupat, ejus tamen differentia a gutta roſacea perfacilis, definitur enim a Galeno. Si ex ſanguine & flava bile juſto calidioribus fluxio miſta fuerit, aut ex ſanguine quidem, ſed fervido & ſubſtantia tenuiſſimo eryſipelas vocatur ille affectus multo calidior inflammatione, & aſpectu flavior &c. color ergo in eryſipelate aliquid flaveſcentis cum rubro mixti habet, quod veteres a bile, nos a ſero flavescente deducimus, in gutta roſacea vero rubedo vera. Eryſipelas etiam alias corporis partes invadit, ſæpe cum febri acuta inflammatoria conjungitur, quod neutrum in noſtro morbo obſervatur, atque per hoc ultimum a phlegmone faciei diſtinguitur, quæ ad mentem Galeni & Æginetæ eſt tumor præternaturalis ruber, æqualis, renitens, callens, pulſans, dolens in parte molli, cui febris aut in toto aut in parte conjungitur.

A varis. §. VI. A varis, jonthis caſſis, barbaris dictis noſtra pariter effloreſcentia differt, ſunt hæ puſtulæ in ambitu rubentes, & modo ſuppurantes, modo lente exſiccatæ, quæ etiam faciem præ reliquis partibus conſpurcant, atque potiſſimum infeſtant adoleſcentem ætatem, circa pubertatis tempus & ſi aliquot annorum curriculo eam affixerunt, mitiores ſucceſſive evaneſcunt; quandoque tamen ætate provectiore cum fœnore redeunt, & guttam roſaceam adferunt; ergo per ſolam rubedinem maculoſam variant, in quam tamen etiam haud difficulter tranſire poſſunt. Lentiginum ſeu ephelidum & guttæ roſaceæ minus ardua eſt diſtinctio, ſunt enim maculæ lentes colore referentes, ſexui ſequiori potiſſimum communes, & faciem, brachia & partem thoracis aëri expoſitam guttatim quaſi defœdant, nec rubent, nec dolent. Lichenes, aliis

A lentiginibus.

A Lichenibus.

ſer-

ſerpigo præterquam, quod & alias ſæpe partes corporis, quam vultum afficiant, ſunt aſperitates quædam cutis & veluti tumores cum pruritu multo ex quibus materia emanat. *Lichen* Galenus inquit *eſt menti injucundiſſima affectio, quoniam pruriginem multam inducit, facit partium affectarum circumtenſionem, periculoſa eſt, non parum proſerpit per faciem oculosque, interdum contingit. Et tandem etiam extremam fœditatem parit.* Ab aliis demum efflorescentiis chronicis in eo noſtra diverſa, quod vel totum corpus, vel etiam corporis partem infeſtent, ab acutis vero ſatis per acutam etiam febrim differre exiſtimo. Ab aliis efflore-ſcentiis.

§. VII. Cum omnes efflorescentiæ in cute conſpiciantur, certum videtur in vaſis aut glandulis cutaneis eas hærere, proinde potiſſimum materiam earum eſſe tale quid, quod ineptum per vaſa tranſire, aut e glandulis excerni, ſeu hoc oriatur ab inſpiſſatione fluidorum ſeu anguſtatis vaſculis, & ductibus excretoriis, ſeu errore loci, dum craſſiores, & improportionatæ molleculæ minimorum vaſorum ingrediuntur oſcula dilatata, per quorum fines tranſire non poſſunt, affectus idem ſeu obſtructio ſequetur, & ſi liquidum rubrum in vaſculis faciei cutaneis ſtagnet, guttam roſaceam facile inducet, ſic a liquidis inſpiſſatis dum phtiſici nocturnis ſudoribus diffluunt, & liquidiſſima ſanguinis pars diffiatur, ad vaſcula cutanea ſæpe puſtulæ pruriginoſæ oriuntur. A conſtrictione vaſorum docent puellæ delicatulæ aut tenerioris ac ſimilis fere conſtitutionis viri, qui dum mane lecto relicto illico aperta feneſtra faciem, & manus libero exponunt aëri, hæc paulo poſt in veſiculas valde prurientes attolluntur, ſeu hoc jam fiat a frigore matutino perſpirabile impediente, ſeu ab acri non raro in aëre volitante hæ veſiculæ vaſculorum conſtrictioni tribui poſſunt. Errore loci efflorescentias etiam fieri poſſe, facile concedi poteſt, ſi conſideretur a motu adaucto non modo faciem omnem inſigni rubore perfundi, ab ingreſſu ſanguinis in vaſa ſeroſa, aut forte minora etiam violento motu dilatata, verum & ſanos homines æſtivo calore graves labores exercentes moleſtis pruriginoſis ſæpe exanthematibus corripi. Cauſa immediata guttæ roſaceæ.

§. VIII. Dixi priori in §vo efflorescentias aut in glandulis cutaneis hærere. Eſt vero nobis glandula ad mentem Boerhavii folliculus cavus, cujus latera omnis generis vaſcu- Aut in glandulis.

lis

lis donantur, & in cujus cavum minimarum arteriarum oſcula patentia determinatum liquidum infundunt, ope arterioſæ fabricæ a ſanguine ad glandulas allato ſeparatum per ductum excretorium, dein collectum in ejus cavo liquidum emittitur, in varios ac determinatos corporis uſus. Jam ſimplices tales glandulæ plurimæ ſunt, quæ collectum in ſuis cavis liquidum verſus exteriora cutis deponunt. Ita in facie quædam erructant pingue oleum, quod per poros exſudare videtur, & ſplendentem ac unctum quaſi vultum reddit præcipue poſt ſomnum, & hæ ad exteriora alarum naſi copioſiores & magis conſpicuæ. Quædam majores profundius poſitæ & emiſſariis patentioribus conſtant, per genas, labia, naſum, & mollem ſub oculis cutim diſperſæ. Quædam materia ſpiſſior, lentior, & ita ductilis, ut vi compreſſi folliculi figurent tenues longas ſpiras, quas multi falſo quidem vermes exiſtimant, ſi proin liquidum glandularum in cavis coaguletur, inſpiſſetur, exſiccetur, ut per ductus excretorios excerni nequeat, aut ſi folliculi emiſſarium quacunque cauſa anguſtetur, comprimatur, extendatur a contento liquido folliculus, pars ſubtiliſſima aut per anguſtatum expelletur ductum, aut per venas patentes reſorbebitur, ſpiſſum remanebit, augebitur, extendetur cavum glandulæ, vaſa per membranas glandulæ decurrentia comprimentur, & ſi vis a tergo urgens, rumpentur. Ruber ſic ſanguis loco alterius liquidi in cavum folliculi infunditur, quod emitti plane ineptum, inde rubedo, quandoque puſtulæ exulcerationes & ita gutta roſacea. Dari autem tales glandulas ſimplices cum Malpigio conſentit Boerhavius, nec ipſi negat Ruiſchius; an autem in glandulis conglomeratis dictis ſint folliculi colligentes ſecretum ab arteriis liquidum & minimis ſuis emiſſariis in communem ductum excretorium deponentes, an potius nullis interjectis folliculis ramuli ſecretorii ex arteriis orti immediate in ductum excretorium infundant ſecretum liquidum tantis Viris & Anatomicis diſcutiendum relinquo. Legi certe merentur epiſtolæ Boerhavii & Ruiſchii: Halerus in commentariis Boerhavii, Heiſterus de glandulis.

Cauſa remota ingeſta.

§. IX. Abſoluta cauſa formali guttæ roſaceæ ad cauſas remotiores tranſitum facio, quas inter fere agmen ducunt ingeſta, experimur ſæpe numero id, quod pruritus & exanthe-

themata facit, circa præcordia & in ventriculo habere ſedem, quo ejecto hæc illico evaneſcunt, dum infelici caſu mytulum venenatum quis ſumpſit, prægreſſa ingenti anxietate ac ſummo pruritu tota fere corporis cutis exanthematibus occupatur. Quæ ſi contenta in ventriculo vomitu rejiciantur, omnia ſimul illico evaneſcunt, novit Magnif. van Switen hominem, cui ſimilia ſymptomata obvenerunt ab aſſumptis lapidibus cancrorum, ſimiliter evaneſcentia iis vomitu excuſſis. Sed ut propius ad noſtrum accedamus morbum, quem Turnerus appellat. *Inſignia Bacchantium flagranti fulgore radiantia*, ut morbum Damnoniis & Belgis maxime familiarem, & fere endemium ob pravam potandi conſuetudinem aſſerit. Quæ vero, num ita ſe habeant, non diſputo; noſtra certe in patria ſtrenuis præprimis potatoribus hic morbus eſt communis, & immoderatæ ſpirituoſorum liquorum ingurgitationi adſcribitur nec immerito, alcohol ſero ſanguinis affuſum hoc coagulat & indurat illico, partes ſolidæ in alcohole retentæ in omnem dimenſionem contrahuntur, docent idem hæmorrhagiæ validæ, quæ alcohole ſiſtuntur. Ergo ponuntur duæ validiſſimæ obſtructionum cauſæ, unde variæ cutis effloreſcentiæ, & non modo levioris momenti in ſumma cute oriuntur obſtructiones, ſed ſæpe contigit mihi videre apertis cadaveribus in magna domo pauperum militum ſpirituoſis potibus deditorum viſcera ipſa fere omnia ſcyrrhoſa & quaſi putrefacta. Agnoſcendum eſt interim hunc morbum maxime abſtemiis & temperatis interdum, ſed rarius accidere, vel a congenitæ vaſculorum aut glandularum cutanearum ad hunc morbum diſpoſitione aut aliis cauſis, quæ obſtructionem his in partibus inducere valent.

§. X. In ſano corpore per alvum imprimis veſicam, & inſenſibilem perſpirationem expelluntur ea, quæ diutius aut omnino retenta, actiones lædunt, depurando proin corpori hæ excretiones inſerviunt, ideoque his impeditis varii acrimonia morbi, inter quos & noſtra gutta roſacea generari poſſunt. Verum binis excretionibus nempe alvi & veſicæ non continuo occupatur corpus, & in ſuis receptaculis ac cavis diutius ſine magna noxa morari poſſunt, nec ad noſtrum morbum producendum tam facile concurrere videntur, perſpiratio vero, ut certis conſtat obſervatis, nullo ſanitatis tempore Retenta. Præcipue Perſpiratio.

pore feriatur ; licet jam copioſior jam parcior obſervetur. Proin ab hac excretione impedita plures adhuc morbi, & noſter quidem facilius & frequentius fieri poteſt. *Vere impetigines & vitiligines, & puſtulæ ulceroſæ & tubera fieri*: monuit Divus Hippocrates Sect. 3. aph. 20. & in eadem Sectione aphor. 31. *Senibus pruritus totius corporis communes* ait. Certe vix aliam ob rationem, quam quod vere ab aëris variatione ſæpe impediatur tranſpiratio, & in ſenibus hæc ipſa ob conſtricta & deperdita plurima jam vaſcula minora, & ob defectum liquorum tenuiſſimorum parcior etiam eſſe ſoleat. Quam multiplici vero cauſa hæc perſpiratio impediri poſſit, docuêre celeberrimi Viri Sanctorius, Keilius & de Gorter.

Frigus. §. XI. Sanguis, dum vena emittitur poſt breve trium forte aut quatuor minutarum intervallum, in maſſam ſolidam ad latera vaſis continentis plerumque accretus coagulatur. Et quo aëris ambientis frigus majus, hoc citius longe concreſcit. Ergo fluidorum particulæ frigore adunantut, ſerum & tenuiſſimorum vaſculorum conſtringuntur orificia præcipue in partibus extimæ cutis, quæ ſine veſte ac defenſione, ut in facie: ergo utraque vaſculorum cutaneorum obſtructionis cauſa naſcitur. Unde guttam roſaceam cum reliquis effloreſcentiis deduco addendo, quod præcedenti §vo adducti tres authores una omnes confirment per frigus admiſſum inſenſibilem perſpirationem multum imminui, quam vero etiam ex præcipuis cauſis effloreſcentiarum eſſe priori nos §vo docuit Hipp. & Celſus Lib. 1. Cap. 3. ulterius hortatur: *Per autumnum vero propter cæli varietatem periculum maximum eſt, itaque nequn ſine veſte, neque ſine calceamentis prodire oportet.* &c.

Unctiones. §. XII. Pinguibus & oleoſis inungi aut totum corpus, aut partes ejusdem apud Veteres ſolitum erat, nec noſtro adhuc tempore fieri deſiit, pinguibus autem minima vascula obturari admodum veroſimile videtur, primo, quod oleoſa cum aquoſis difficile permiſceri intime ſe patiantur, humor autem tenuiſſimus per ultima vaſcula exhalans aquoſus eſſe per experimenta demonſtratur. Secundo videntur unctionibus ea ex ratione uſos eſſe veteres, ne nimia humorum copia diffletur, poſt balnea enim inungebantur, ne humiditas per balneum ſuſcepta diſſiparetur, & ad impediendum ſudorem nimium adhibebant athletæ unguenta, unde excretionem illam,

quæ

quæ per vaſcula cutanea fit, prohiberi, vel ſaltem imminui oleoſis adhibitis exiſtimo, hanc vero cauſam efficacem guttæ roſaceæ eſſe ſæpe memini. Conſtat & experientia ob hanc cauſam in quibusdam hominibus a leviſſima inunctione blandiſſimi etiam olei eryſipelas, imo & febrim excitari. Huc referri merentur liquores cosmetici, qui vel ob nimiam, quam continent vel facultatem conſtringendi, vel acrimoniam præcipue pinguibus miſtam, quæ canaliculos minimos corrodit, puſtulas, pruritus, & noſtrum morbum progignere poſſunt. Quod vero athletæ robuſtiſſimi illæſi unguenta adhibuerint, imo & integri populi totum corpus fuligine pinguibus miſta vernice vel corpus oblineant, nec minus ſani perſiſtant, conſuetudini dandum eſt, ut & quod puellæ teneræ plurimas corporis partes impune frigido exponant aëri, quod durus arator inaſuetus vix tolerare poſſet.

§. XIII. Acria cuti externe adhibita imprimis ſi pinguibus commiſta exanthemata producere ſæpius obſervari priori dictum §o. conſtat proin etiam a cauſis non ortis in corpore noſtro, ſed in exteriori ſolum ejus ſuperficie applicatis varias efflorescentias generari poſſe. Quamvis plerumque tamen cauſa materialis ſit tale quid, quod minima vaſcula tranſire ineptum: & eo etiam in caſu, ſi per externos ſtimulos contrahuntur irritata vaſcula, humores per illa libere permeare nequeunt. Forte in aëre nos undique ambiente continentur tales ſtimuli, qui idem efficiunt. Certe Reamus Memoires pour l'Hiſtoire des Inſectes Tom. 3. Mem. 4. qui tot utilia æque ac pulchra invenit. Dum manibus tractabat erucarum nidos, manus non ſolum præcipue in digitorum interſtitiis, ſed & faciem & oculi palpebras moleſtus occupat pruritus, inflatio & tumor per dies quatuor fruſtra adhibitis aqua, oleo, ſpiritu. Dum in omnem cauſam inquireret, invenit pilos minimos cuti inſtar ſpicularum minimarum infixos non ſolum tactu immediato læſiſſe, ſed & baculo ſolo agitatos, viditque milenas tales pilorum particulas irradiante ſole per aërem volitare. Fors plura talia in aëre continentur, quæ varias efflorescentias in partibus libere expoſitis inferre poſſunt.

§. XIV. Conſtat ſerum ſanguinis per aquam ebullientem in maſſam ſolidam mutari, conſtat pariter calore & mo-

tu humorum adaucto partes humorum ſubtiliſſimas difflari, craſſiores relictas adunari, olea & ſales nimis attenuata trita acria fieri, vaſcula minima per motus violentiores in principio dilatari, hinc alienos errore loci ſubingredi humores, qui per fines eorum pertranſire nequeunt, atque ſic triplices principes cauſæ conſpirant, quæ obſtructionem in genere, hinc & in vaſculis cutaneis producere aptæ ſunt. Certum enim eſt per calorem nimium ſæpe hinc inde in corpore naſci veſiculas minimas ſero limpido plenas, ſudamina appellare ſolent. Et Hipp. epidem. 2do jam notavit, *quod largi imbres cum ardoribus & ventis auſtrinis pruritum fecerint, & phlyctænides, ambuſtis ſimiles, quibus ſub cutim uri videbantur.*

Quiete. §. XV. Non minus a motu imminuto, quam velociori obſtructionem fieri certum eſt, motu enim humorum imminuto fit concretio, inſpiſſatio, inertia in iis, præterea ſicut moderata corporis exercitia & motus promovent ingeſtorum aſſimilationem, ac ultimam elaborationem, ac ſimul excretionem, ita quiete nimia hæc elaboratio, hæc expulſio impeditur, aut ſaltem retardatur, atque ea, quæ naturali ordine eliminari deberent, permanent, obſtruunt, acria fiunt. Et ut jam §is prægreſſis ſat demonſtratum judico, inſenſibilem perſpirationem impeditam obſtructiones in vaſculis cutaneis producere, ita demonſtratum eſt quiete nimia eam imminui, & corpora ponderoſiora fieri.

Serum acre. §. XVI. Omnes humores exceptis quibusdam excrementitiis, ut urina, bile, blandi ſunt, nullamque in ſtatu naturali continent acrimoniam. Accidit vero non raro, ut a diverſis cauſis, a blanda ſua indole degenerent, & variam habeant acrimoniam, ſi jam liquida ultimîs vaſculîs cutaneis contenta acria facta ſunt, varias maculas, puſtulas, imo & ulcera peſſima pro gradu acrimoniæ excludunt. Sic in infantibus ſæpe eroditur cutis acri ſero, quod exſiccatum præcipue in capite in denſas fœtidas cruſtas creſcit, ſub quibus profundæ fiunt eroſiones, quæ ſæpe multorum malorum ſorigo. In ſcorbuticis toties oriuntur maculæ, imo ulcera in cruribus ſummo cum dolore, quæ ulcera magnam copiam ſeri acris plorant, vicina pariter erodentis.

Evacuationes nimiæ. §. XVII. Multa ſunt in corpore noſtro, quæ dum ſuis deſtinatis uſibus inſervierunt, eliminari de corpore debent.

Ne-

Neque ſemper acrimonia eorum ratio eſt, quod excernantur, ut mucus narium, oris, quid, quod ſanguis ipſe vitalis maxime humor, ſi nimia copia oneri ſit per uterum, hæmorrhoides, aut alias quandoque inſolitas etiam vias excludi debeat. Verum ſi evacuationum una, plures aut omnes modum excedunt, plurima emanant mala, notum eſt enim ad debitam aſſimilationem aſſumptorum plurimum requiri humorum inquilinorum commiſtiones, in quorum defectu loco blandi chyli alius non naturalis & noxius elaboratur humor. Poſt ingentes hæmorrhagias per vulnera, abortum, aut alia ratione non tantum languida fiunt corpora, ſed peſſima generatur cacochymia, a qua diverſæ efflorescentiæ ac ipſa ulcera, ut paulo ante dictum, oriri poſſunt. Si autem nimiæ evacuationes eorum liquidorum, qui ſanguine ſubtiliores, his orbatus ſanguis in concretionem fit pronior, unde obſtructio, quam cauſam omnium exanthematum generalem propoſui. Ita reperiuntur mulieres, quæ poſt ſingulas copioſas evacuationes menſtruas variis & in facie & aliis corporis partibus defœdantur maculis & puſtulis.

§. XVIII. Mirum forte videri poſſet, quo modo animi pathemata obſtructionem in vaſculis cutaneis, mirum magis, quo modo guttam roſaceam inducere poſſent. Si vero primum evincimus, alterum ſequi poſſibile eſt. Docet jam Santorius: *Nihil magis promovere inſenſibilem perſpirationem, quam animi conſolationes*, Santorius Aph. 457. &c. Sed ſimul etiam docuit triſtitiam, metum, non tantum impedire perſpirationem, ſed & hac impedita ab alia quacunque cauſa fieri metum, fieri triſtitiam. Probant hoc phænomena, quæ obſervantur in metu perculſis, aut valida triſtitia obrutis. Nam palleſcunt, frigent, toto corpore contrahuntur, vires debilitantur, ſi autem vires, quæ ad excretionem humores promovere debent, debilitentur, ſi minima vaſcula, ut in his obſervatur, contrahuntur, magis reſiſtunt ſecernendis humoribus, ſecretio humoris perſpirabilis multum imminuitur, aut forſan plane aliquo tempore ſuſpenditur, ab impedito autem perſpirabili & obſtructiones & efflorescentiæ, quibus & guttam roſaceem adnumero, enaſcuntur. Interim hæ & ſimiles cauſæ occaſionales non ſemper prædictos morbos & noſtrum generant, monet hoc Galenus de febr. Lib. 1mo, *quod* Animi affectus.

 nulla

nulla cauſa ſine corporis aptitudine agere poſſit; alioquin omnes, qui in ſole verſantur æſtivo, febricitarent, & qui plus æquo moventur, aut vinum bibunt, aut irraſcuntur aut mærent &c.

Laxitas vaſculorum cutaneorum.

§. XIX. Egi hactenus de cauſis occaſionalibus aptis producendis variis eruptionibus cutis, ſed paulo ante dixi, hos ſolos morbos non facere, ſed ſæpe in corpore diſpoſito: quod alio in loco iterum confirmat Galenus dicens: *Corpore ad morbos quaſi præparato externum quoddam adveniens febrim accendit, quod ex ſe morbum vehementem minime generaret*, &c. & propter corporis diſpoſitionem unum quodque horum eſt morbi cauſa, ſed occaſio redditur. Comment. 4. in Hipp. de vict. acut. pauca ergo de cauſis prædiſponentibus adferam, inter quas judico eſſe & laxitatem ac debilitatem nimiam fibrarum, vaſorum & viſcerum. Eſt ea partium hæc componentium adunatio cum niſu tam levi, ut motus ad vitam & ſanitatem requiſitos, aut ſaltem paulo vehementiores ſine læſione exercere non valeant. Hæc a variis producta cauſis facit ad mentem Boerhavii inter alia facilem dilatationem vaſorum, eorum facilem compreſſionem, liquidorum ſtagnationem, cruditates, corruptiones &c. Si ergo hæc debilitas in vaſculis præcipue cutaneis obtineat, per dilatationem nimiam facile alieni humores errore loci ingrediuntur. Per compreſſionem vaſa anguſtantur, per ſtagnationem, cruditates, corruptiones acrimonia minima vaſa erodens naſcitur, atque ſic omnia ex citandis variis effloreſcentiis pro diverſitate cacochymiæ, ſeu diverſa degeneratione humorum a ſuis conditionibus in ſanitate requiſitis quam plurimum favent.

Rigiditas vaſculorum cutaneorum.

§. XX. Rigiditas fibrarum, vaſorum & viſcerum eſt ea partium hæc componentium adunatio cum niſu tam magno, ut, prout vita & ſanitas exigit, non cedant fluidis, ut ſe mutari ac immoveri non patiantur. Omnes enim fibræ & vaſa tantum agunt in fluida contenta, quantum reprimunt, & conantur imminuere ſuos diametros, & ſi ſemel contracta ſunt ad minimam capacitatem, vis hæc ceſſat, nec operatur, niſi ab impreſſo liquido vaſa iterum diſtendantur. Ergo neceſſaria eſt in vaſis ea flexilitas, ut cedere & dilatari poſſint ab impreſſo liquido, & quieſcente hac virtute impellente iterum ſe contrahere. Hæc ergo flexilitas ſi abſit, canales arctantur, comprimuntur, comprimuntur & fluida, ſubtiliſſima

ex-

exprimuntur. Cordi & humoribus ab eo propellendis augetur reſiſtentia, hinc turbatur æquabilis eorum motus, & omnes inde dependentes ſecretiones. Verum ſi vaſcula cutanea arctantur, comprimuntur, ſi humores in iis contenti comprimuntur, orbantur ſubtiliſſimis per ſe adeo ſubtiles, ſi inſenſibilis per ea tranſpirationis ſecretio impeditur, perturbatur. His factis facile in his vaſculis fiunt obſtructiones, & variæ in cute eruptiones. Et certe infantibus, quibus laxa conſtitutio intertrigines, cruſta lactea, ſeu lactumina, tinea, communia ſenibus vero ſcabies, lepra &c. licet confitendum ſit in infantibus admodum raro guttam roſaceam obſervari. Poſſent & aliæ cauſæ prædiſponentes addi, ut plethora, &c. ſed cum hæ minus argumento meo conveniant, iis ſuperſedeo.

§. XXI. Tandem & enarratis cauſis ad prognoſim guttæ roſaceæ delabor. Levioris licet momenti noſter hic videatur morbus, & revera per hunc hominis vita non periclitetur, tamen etiam leviſſimus ejus gradus rubedo maculoſa difficulter, puſtuloſa difficilius, & ulceroſa, quam etiam in cancrum degeneraſſe notant authores nunquam curatur, interim miræ tales quandoque per cutim fiunt eruptiones, ut & gutta roſacea præcipue in ſobrie viventibus noxiis variis ſalutari hoc naturæ conatu eliminetur: ſic inveniuntur, quibus adulto vere in hac aut illa corporis externi parte macula rubra emergit, quæ elapſis paucis diebus viſcidum ex dilatatis vaſculis cutaneis expreſſum humorem plorat. Qui in cruſtas flavas, ſæpe denſas, fœdas concreſcit, fœdior aſpectu, ſi in facie. In aliis eruptiones fiunt ſine emanante humore, ſed ſolum epidermis continuo in tali loco per modum ſquamularum abit, donec ſenſim evaneſcat. Hos ſalubres naturæ conatus externis præcipue exſiccantibus, repellentibus impedire noxium certe & periculoſum eſt. Niſi in vicinis aut aliis recreſcant: *Juveni euſarco & robuſto impetiginis materiam topicis toties, quoties repulſam, ad inteſtina repulſam calicæ atrociſſimos paroxyſmos intuliſſe obſervat*, Benedictus Theat. tabid. *A qua male curata aut ſponte reducta phtyſim dein ſubortam deprehendit.* Chronicæ etiam quandoque eſſe ſolent tales efflorеſcentiæ, & natura conſuetudinem facit ſe hoc modo liberare, quæ retenta fuiſſent noxia. Ad omnia etiam tentata remedia rebelles ſunt Prognoſis.

hi

hi morbi felici aliquando eventu, ſi ſubito ſublati horrenda alia mala contingunt, confirmat hoc mirabilis in actis Pariſinis caſus Acad. des Scien. 1703. Mulier ſanæ conſtitutionis poſt puerperium in manibus laborabat impetigine per decem fere jam annos. Applicuit hæc medicamentum, neſcio quod, pellucidum inſtar aquæ, perdidit per viginti quatuor horas hoc malum, ſed inſecutus graviſſimus conatus ad vomendum cum metu ſuffocationis hoc finito caput petebatur, & dein ad naſi latera fluxus quaſi ab eryſipelate factus. Menſes ordinate hactenus effluentes evacuerat. Palpebræ, naſus, labia ita intumuerant, ut multo tempore diducere & movere non potuerit, omnes dentes in maxilla inferiori & multi in ſuperiori licet nihil mutati in calore exciderunt. Tot malis, malum leve licet non nihil fœdum redimere debuit. Hinc caute cum his mercandum. Ut monuit Hippocr. Prorret. L. 2. *Impetigines & lepræ, & vitiligines albæ, quibus quidem juvenibus aut pueris aliquid horum factum eſt, aut paulatim conſpectum in multo tempore augeſcit, his quidem non oportet putare abſceſſum eſſe hanc efflorefcentiam, ſed morbum, quibus vero horum aliquid factum eſt multum & derepente hoc ſane fuit abſceſſus.*

Cura. §. XXII. Sicut univerſalis lex in cura obſtructionis cujuscunque aſſignari nequit, ita nec guttæ roſaceæ, ſed pro diverſitate cauſarum cura pariter diverſa. Videtur quidem in quacunque obſtructione proficuum eſſe, ut vas obſtructum relaxetur, & concretum ſpiſſum progredi ulterius non potens diſſolvatur, ſed & ab ipſa relaxatione quandoque obſtructio oriri poteſt, neque concretum aut ſpiſſum illud ejusdem ſemper indolis ac naturæ eſt, hinc certe eadem iterum remedia adhiberi nequeunt. Ordinabo proin noſtri morbi curam ea ratione, qua cauſas remotas prioribus in §is recenſui, ſi proin aut ingeſta aut aliud quid circa præcordia hæreant, quod efflorefcentiæ anſam facit, vel jam præſentem, quod ſæpius accidit, guttam roſaceam auget, dolorificum pruritum excitat, ſimulque ſigna vomitus præſentia remedio illum excitante ut ♁e rad. hypecoac. ad ſcrup. ii. ad drach. unam utimur, ſi vero alvus ſegnis, repletio ac obſtructio ſub diaphragmate pro diverſitate temperamenti, aliarumque circumſtantiarum varia adhibenda purgantia, ut in temperamento calido, ſanguineo caſſia, manna, tamarindi, ⊖ia acida

ut

ut ♀us, ejus cremor, ⦶um, media ut Sedlizenſe &c. in phlegmatico vero acriora ut Jalappa, Scamonium, Mercurius dulcit, præcipue ſi fors latentis luis venereæ ſuſpicio. Si vero, quod longe frequentius ab immoderato ſpirituoſorum liquorum uſu abſtinentia ab iis ſucceſſive, diluentia, ſubacida, ut decoctum hordei, avenæ, ſerum lactis optimo erunt remedio. Si a retentis præcipue inſenſibili perſpiratione imminuta, aut omnino abolita diaphoreticis pugnandum eſt. Ut ♁io diaphoret. ☿i, ſuccin. præcipue ſi fors cuidam ſimiles pulvisculi innocui aut plane inertes viderentur, addi poteſt potus theiformis ex herb. galeg. ſcord. ſcabios. veronic. &c. aut decoct. ex rad. chin. ſaſſaparill. Bardan. cum ſem. fœnic. aut anis. atque ſimilia conveniunt, ſi morbus præſens a frigore inductus, omnia ea ſcilicet, quæ non nihil validiorem calorem & motum inducunt. Si evacuationes ſuppreſſæ ut hæmorrhagia narium, menſium, hæmorrhoidum, fluxus eorum modeſte promoveri debet, ſic in ſuppreſſa hæmorrhagia narium vaſcula membranæ Schneiderianæ laxanda, irritanda, ſolvenda. In menſium defectu venæſectio, præcipue ſi conjuncta plethora, in pede determinantia ad uterum, ut fomenta, balnea, frictiones pedum, aperientia uterina ex ariſtolochia, artemiſia, matricaria, pulegio, aloe, myrrha, croco, borrace, ſuccino, calibe cum debita cautela locum habent. Fluxus hæmorrhoidum emollientibus forma enematis, vaporis, fomenti, apertura horum vaſorum frictione cum aſperis applicatione hirudinum reſtitui poteſt. Laudant quidam, etſi nulla evacuatio ſuppreſſa revulſionis cauſa, veſicatoria cucurbitulas cum vel ſine ſcarificatione, & certe in phlegmaticis præ reliquis non contemnendi ſunt uſus. Si unguenta varia, liquores comeſtici aut quodcunque acre a cauſa externa applicata guttam roſaceam effecerint. Ab iis abſtinentia, diluentia, quandoque & oleoſa lac &c. adhibita curæ erunt. Tandem calor curari debet quiete corporis, diluentibus, aquoſis, leniter reſolventibus, acidis nitroſis, præprimis ſi non inanis ſuſpicio ſpiſſitudinis phlagiſticæ, ad quam ſpiſſitudinem calidam præprimis etiam conveniunt ſerum lactis, acidulæ leviores temperantes, ut ſelteranæ, in ſpiſſitudine autem frigida lenta, glutinoſa, acriora aromatica, ⊖ia, reſolventia, decoctum lignorum, acidulæ Egranæ, Roitehenſes, ex uſu

erunt. Quieti opponuntur moderatus corporis motus & exercitia, atque interne ea, quæ inſenſibilem perſpirationem promovere dixi. Si vero ſerum acre in humoribus peccet, ejus naturam per ſua ſigna indagare oportet. Acidum enim in humoribus per ſua ſigna cognitum exigit diluentia aquoſa, acidum infringentia; ut magneſia alba, ⊕tri, & ſi pallor, frigus ac motus, circulantium liquorum languidus, quandoque ⊖ia volatilia alcalia. Acrimonia vero alcaleſcens per diluentia ſubacida, temperantia, ut ex vegetabilibus eſt acetoſa, acetoſella, ribeſia, fructus berberum, limonii, acetum dilutum cryſtalli ♀i: ex animalibus ſerum lactis, lac ebutyratum ex mineralibus præ aliis ⊕um ♎ acidi &c. corrigi debet. Acrimonia muriatica ſcorbutica remediis ſcorbuto convenientibus curanda. Sic pariter ſi a nimiis evacuationibus cacochymia eruptiones quasdam attulit, in hujus iterum naturam inquirendum eſt, & præter vires reſtaurantia varia oppoſita remedia uſurpari debent, prout paulo ante de diverſa acrimonia ſeri dictum eſt. Animi affectus cum ob impeditam inſenſibilem perſpirationem ad noſtrum etiam morbum facere videantur, debito moderamine corrigantur. Et ipſa inſenſibilis perſpiratio, ſi per eos impedita in actum prioribus dictis deducenda. Laxitati ac debilitati vaſorum & viſcerum opponere neceſſe eſt roborantia nutrientia, ut lac, jura carnium, vina non nihil auſtera, frictiones, exercitia corporis, medicamenta acido-auſtera, quandoque non nihil ſpirituoſa. Tandem ad rigiditatem nimiam potus lenes, aquoſi, ut ſerum lactis, cibi moles, ex oleribus farinoſis, quies, ac ſomnus protractior, externe aquoſa balnea tepide applicata adhiberi debent. His paucis plurima enim enarrare potuiſſemus, externa quandoque, ſed ut præmonitum cum cautela applicanda ſunt, ſic quidam applicant ſuccum limonum cum alumine coctum, alii farinam amygdalarum amararum ſubtiliſſimam cum aceto in formam unguenti redactam, alii decoctum Zingiberis in aqua vel vino, fortior erit decoctio ♀is & Zingiberis cum vino facta, inſpiſſata & pinguedine quadam in unguentum formata, multis arridet lapis medicamentoſus Crollii his non nihil proficuis ad uſum etiam externum mercurialium progredi fors licebit, ſimile eſt unguentum foreſti. Cæterum, cum gutta roſacea valde fre-

quens

quens ſordidis & ebrioſis, temperantia vero iis vix perſuaderi poſſit, iis etiam vix convaleſcentia promittenda.

COROLLARIA.

1mo. *GUtta roſacea eſt rubedo faciei maculoſa, puſtuloſa, aut ulceroſa fere melius viſu, quam deſcriptione noſcenda.*

2do. *Ab aliis efflorеſcentiis, aut colore, aut loco quandoque febri differt.*

3tio. *Cauſa guttæ roſaceæ formalis eſt obſtructio in vaſculis faciei ſubcutaneis forte & quandoque glandulis.*

4to. *In temperantia vitæ inſenſibilis perſpiratio impedita ſerum acre, acria externe applicata ſunt præcipue cauſæ remotæ guttæ roſaceæ.*

5to. *Licet periculoſus morbus non ſit fœdus tamen, rarius curabilis, & ſi ſalutari naturæ conatu inductus, quacunque vero ratione repulſus eſt periculoſus.*

6to. *Cura generalis aſſignari nequit, ſed pro diverſitate cauſarum.*

7mo. *Hinc ſæpe contrariis curari poteſt.*

8vo. *Externa non adhibitis internis rarius & cum cautela adhibenda.*

F I N I S.